

NICOLAI VERNVLÆI

**HENRICVS OCTAVVS
SEV
SCHISMA
ANGLICANVM
TRAGŒDIA**

quam edidit

THOMAS M. NVDIPES



**TILBVRGI
2020**

NICOLAI VERNVLÆI
HENRICVS OCTAVVS TRAGŒDIA

NICOLAI VERNVLÆI

**HENRICVS OCTAVVS
SEV
SCHISMA
ANGLICANVM
TRAGŒDIA**

quam edidit

THOMAS M. NVDIPES



**TILBVRGI
2020**

ISBN 978-90-808719-8-4

Uitgeverij Stilus, Tilburg: www.stilus.nl/vernulaeus

Omnia iura reservantur © 2020 Thomas M. Bervoets, Amsterdam

PRÆFATIO

Oblitteratus ac nostra paene aetate in oblivione iactus videtur NICOLAUS VERNVLÆVS (*Nicolas de Vernulz*)¹, humanista, regis (Philippi II Hispani) assectator, qui Robelmontii (*Robelmont*) in magno ducatu Luxemburgensi anno 1583 natus, patre in exercitu regio apud Belgas centurione, catholica educatus religione, studiis in universitatibus Treverensi et Agrippiniensi perfectis, ab Ioanne Baptista Gramayo (*Jean-Baptiste Gramaye*), professore eloquentiae publico illo nobili, invitatus est, ut Lovanii in paedagogio universitatem continente² nomine Porci, ducto a taberna eiusdem nominis auditorio opposita³, rhetoricam doceret. Abhinc triennium in Gramayi locum successit, paulo post professor linguae Latinae in Collegio Trilingui Busludiano illo illustri factus, ter universatis munere annuo rectoris functus est magnifici.

Vir fuit in utraque oratione excellens, attamen stilo quam voce promptior, et scribendo quam dicendo (ob raucitatem quandam, qua a natura primisque vitae annis laborare solebat) praestantior. Incorruptam Latini sermonis integritatem cum elegantia observans verborum, existimator doctus opera non pauca litteris mandavit de variis materiis cum sacris (nam presbyter erat et theologiae licentiatus), de religione, de moribus, tum profanis, de rebus antiquis gestis, de rebus civilibus publicis, de regno Habsburgensi, cuius historiographus factus erat, de universitate Lovaniensi ipsa, cuius historiam tribus libris colligavit, multa de arte dicendi deque eloquentia, in quibus Orationes Rhetorum gymnasii Porcensis⁴ ad iuventutem in rhetoricis exercendam moribus usque ad saeculum proximum medium et amplius saepius repressae usui fuerunt.

¹ Vitam eius exposuit Henningus *Witten* in Memoriae philosophorum, oratorum, poetarum, historicorum et philologorum nostri seculi clarissimorum renovatae decade quinta, Francofurti a. 1679 edita, p. 90 et seqq.

² Constat tunc temporis studiosorum universitas sive Studium Generale ex corporibus liberalitate utentibus, ut collegiis et paedagogiis variis, quorum in aedibus et vivebant studiosi et audiebant.

³ Porcenses amavisse porcina videntur etiam, cum PORCUS ALIT DOCTOS eorum esset dictum.

⁴ Rhetorum Collegii Porcensis inclytæ Academiae Lovaniensis orationes, Lovanii a. 1645 editae.

Nullas a scribendo ac commentando sibi dans ferias, docendi assiduitate ac labore confectus, anno 1649 vita decessit Lovanii, qui mortuus in sacello S. Caroli Borromaei iuxta sibi familiarissimi Erycii Puteani, praeclari illius Latinitatis professoris, tumulum sepultus est.

Quamquam magna auctoritate floruit aetate illa, nostra autem pluris valet Vernulaeus poeta: tragoedias enim quattuordecem posteritati reliquit, de variis argumentis ab antiquis usque ad tempora ipsius, a Flavio Iulio Crispo imperatore ad Albertum ducem Fritlandum (*Albrecht von Wallenstein*), quae a studiosis Porcensibus publice exhiberi solebant, quo in genere subinde academici omnes prae ceteris palmam ei deferebant. Quo factum est, ut artes ludicrae hae academicae, iam in provinciis Belgii Foederati septentrionalibus paene extinctae, in Hispanicis promoverentur, propagarent quas posthac ordines religiosi primusque iesuitarum.

Res, quae hac in tragoedia nostra agitur, est Henricus VIII (1491-1547), Angliae rex, qui, divortio cum uxore Catharina Aragoniensi facto, Annam Bolenam (*Anne Boleyn*) in matrimonium ductam Angliae reginam fecit novam, Angliam ipsam ab ecclesia divellit catholica et se ipse Anglicanae declaravit caput. Ad quam scissuram, sanguine intinctam catholico, oculos spectatorum advertit poeta et aures. Partes igitur suas agunt Thomas eques Morus (*Thomas More*), qui ob constantiam fidei suam securi feritur, et Ioannes senex Fisherus (*John Fisher*), episcopus Roffensis (*Rochester*), cui eadem de causa idem accidit, quibus tamen quadringentos annos ad 1935 exspectandum fuit, donec a Pio XI papa consecrati sunt. Henricus ipse tamquam tyrannis crudelis repraesentatur, omnia ad suam utilitatem referens, Bolenae meretricis deperditus amoris. Suum ludum obscurum et Thomas ludit cardinalis Volsaeus (*Thomas Wolsey*), regni cancellarius, qui, Ioannem Longlandum (*John Longland*), regis poenitentiarium patrem, consiliis implicans suis, famam, vim, opes postea perditurus sit totas. Apud iudices pro Henrico causam dicit Franciscus eques Brianus (*Francis Bryan*), inferni iste vicarius, ut ab Henrico dictus est ipso; Catharinae causam defendunt Guilhelmus Varamus (*William Warham*), archiepiscopus Cantuariensis (*Canterbury*) et Nicolaus Rydlaeus (*Nicholas Ridley*), utriusque iuris peritissimus. Henrico admonente, ne sit mora, rem ad finem perducit Thomas Cranmerus (*Thomas Cranmer*), Varamo mor-

tuo, archiepiscopus factus, qui coronam imponit Bolenae. Vxoribus posteris quattuor silentio praeteritis, Henricus senior, obesus, mancus ac male validus ad vitae exitum vocatus miser, scelerum commissorum remissione a Deo implorata, animam agens et actam efflans concludit fabulam, extrema in tragoedia poeta fore pio sperante, ut Anglia haeretica in gremium matris ecclesiae olim redeat catholicae.

Non modo viri feminaeque veri, sed etiam personae allegoricae in scaenam producuntur, ab altera parte Haeresis ipsa cum suis, ab altera Religio catholica suis comitata, quae sermonibus demonstrant, quae animi commotiones sint Henrico Bolenaeque et aliis, quique eos motus pellant interiores. Amplificantur quidem hae res ita, ut poetae illa visae sunt memoria, nobis leviter surridentibus nostra.

Fabula enim ipsa opere continetur Nicolai Sanderi, qui discessionis historiam ab Henrico VII patre usque ad Elisabetham I filiam mortuam tribus libris copiose sed diligenter et accurate stilo quidem catholico conscripsit totam.¹

Sanderus in comitatu Surriensi (*Surrey*) ad annum 1530 natus, studiis iuris canonici in Collegio Novo Oxoniensi (*Oxford*) perfectis, regius professor Oxonii docuit usque ad annum 1559: cum in parlamento lex de regia supremate (*Act of Supremacy*) esset redintegrata, Elisabetha I regnante, utpote catholicus qui esset, Angliam reliquit, quo umquam reversurus non iam esset. Romae presbyter ordinatus, ad divinitatis doctorem promotus est. Theologiae professor ascriptus, aliquot annos docuit Lovanii. Gregorio XIII papae de rebus religiosis consiliatus Anglicanis, a pontifice missus est ad Philipum II Hispanum, ut eum ad bellum Angliae inferendum hortaretur, quod is recusavit. Nuntius papalis in Hiberniam missus, se rebellantibus aggregavit, ubi, militibus Elisabethianis instantibus, anno 1581 periit.

In Anglia quidem opus libenter receptum omnino non est ac vel totum reiectum. Scripsit quidam²: ‘Quamquam in famoso isto Sanderi

¹ Nicolai Sanderi (*Nicholas Sander* sive *Sanders*) De origine ac progressu schismatis Anglicani vera Historia, tribus libris conscripta, aucta per Edovardum Risthonnium, et impressa primum in Germania, denuo locupletius et castigatius edita Romae a. 1690.

² Franciscus Masonus (*Francis Mason*) in libri Vindiciae ecclesiae Anglicanae sive De legitimo eiusdem ministerio, Londini editi a. 1646, p. 351.

de Schismate libello mendaciorum numerus cum linearum multitudine certare videatur, ...’.

Henricus autem cum sua Bolena regium famosum facti sunt par: de utroque a viris feminisque doctis conscripta sunt permulta, quae omnia enumerare est longum, unde nostra quidem memoria satis apparet nec mentitum esse Sanderum, nec falsa affinxisse. Despuendi in Anglia operis fortasse fuit causa, quod Bolenae stirpi diffusus est sanguineae, cuius matrem Elisabetham Hovardam, Thomae equitis Boleni uxorem, quondam amaverit Henricus. Num Anna eius esset filia, de hoc in rete omnium gentium certatur etiamnunc.

Vt ad ceteras, sic Vernulaeus et ad tragoediam componendam hanc, quam spatio dierum octo scripsisse dicitur¹, exemplum secutus est Senecae, cuius vis et praesentia in earum structura, numeris, verbis sunt perspicuae. Fabula est omnis divisa in actus quinque, quorum quisque lyrica absque ultimo concluditur parte. Hoc libro nostro actus quisque breve coacto praeceditur. Locutorum verba numerose per senarium cadunt iambicum, loci melici autem in primis per iambicos dimetros et anaepesticos: e tali anaepestico integer chorus est extremo in actu primo, secundi dimetrum sequitur iambicum. Chorus extremo in actu quarto anaepestica et invicem iambica subit metra. Chori autem versus post tertium actum ex numeris constant variis: dactyla metra, iambica, anaepestica, sapphica inter se commutantur, quibus cum perturbationes huius actus, tum discordiae luculente redduntur et apte. Ceterum poeta ita facultatibus abusus est metricis, ut verbum quodque cadat in locum proprium suum, ex quo modulus auditu efficitur iucundus. Vt facilius clara voce pronuntiari possint, verba notis longitudinem vocalium indicantibus ornavimus omnium.

Cum Vernulaeus imprimis ad discipulos eloquentia instruendos tragoedias composuisset suas, quas ipse Porcenses docere solebat, lingua, in eis qua usus est, dicendi flosculis scatet, nullum umquam modum transiens, qua in arte poeta magistrum se praebuit optimum. Sermonem Vernulaei et artem expertas, nervosi ac sucosi versus hi, qui

¹ Antonius Davaeus (*Antoine d’Ave*) in laudatione, hexametris scripta versibus, in exemplo primo impresso extremae tragoediae adiuncta: ‘Teste loquor praesente; vide hic metrumque stylumque, lector, opus solum octidui.’

modo his temporibus facti videntur, aures afficiunt nostras admiratione ac voluptate.

Tria huius tragoediae exempla impressa Vernulaeo vivo et paulo post in lucem sunt edita¹, quae mendis typographicis inter se differunt tantum, quae quidem nostro hoc libro correctae sunt, in quo autem orthographiam verborum atque interpunctionem rationibus aetatis accommodavimus nostrae. Nonnullis genuinis abhorrentibus partibus, tragoediae verba in Batavicum anno 1662 conversa sunt a Francisco Guilhelmo quodam *Zeebots*.² Egregie in Anglicum translata est fabula in Ludovici Scusteri libro³ doctissimi, anno 1964 edito, quo versus et Latine sunt redditi, rebus gestis eis contextis copiose annexi et scitu dignis ceteris. Quo libro etiam theatri academici Lovaniensis continetur historia.


Mirabili hac tragoedia tam fruaris legendo, lecturus qui es, quam nos fructi sumus edendo. Opusculo demum hoc nostro speramus NICOLAI VERNULÆI, tragici illius poetae clarissimi, nomen laudemque iam prope senescentem ab oblivione ac silentio vindicavisse nos hominum.

Amstelodami, Thomas M. Nudipes

¹ 1. Nicolai Vernulaei Henricus octavus seu schisma Anglicanum tragoedia, Lovanii apud Philippum Dormalium a. 1624 edita; 2. Nicolai Vernulaei Tragoediae decem nunc primum simul editae, Lovanii apud Ioannem Oliverium & Cor. Coenestenum a. 1631; 3. Nicolai Vernulaei Tragoediae in duos tomos distributae, Lovanii apud Petrum Sassenum & Hier. Nempaeum a. 1656 editae.

² Francisci Guilielmi *Zeebots* tragoedia *Hendrik den VIII, Koningh van Engelant ofte scheuringe van Engelant ende 't afwijken van 't Catholieck geloof*, Lovanii a. 1662 edita.

³ Ludovici A. *Schuster*, maristae fratris, liber *Henry VIII, a Neo-Latin drama by Nicolaus Vernulaeus, Agustini (Austin)* in Texania (*Texas*) a. 1964 editus.



AD LECTOREM TRAGÆDIÆ ARGVMENTVM

Nulla fabula aut figmentum in hac tragoedia est, lector, en historiam compendio tibi do, Arthurus natu maior Henrici Octavi frater cum Catharinam catholicorum Hispaniae regum filiam uxorem duxisset, ea ob infirmam tenerae aetatis valetudinem minime cognita fatis concessit. Illam de Pontifici Summi venia, ut inter Hispanos Anglosque pax confirmaretur, Henricus Octavus uxorem accepit, et ex ea filios tres, duasque filias, (ex quibus sola Maria, utrique parenti superstes fuit) genuit. Annis in hoc matrimonio viginti consumptis, Henricus Octavus Catharinam, religione, ut prae se ferebat, motus, quod uxor fratris sui fuisset, re autem vera, ut Annam Bolenam, quam deperibat, eius loco supponeret, repudiavit. Approbare cum has nuptias Romanus Pontifex Catharinaeque repudium non vellet, Henricus in ecclesia Anglicana primatum sibi arrogavit, et eorum qui voluntati suae obsequi nolebant, sanguine sancivit. Inde illi tot in Anglia Hiberniaque martyres, et istorum a catholica religione regnorum defectio. Vna enim et hac sola occasione in Angliam, tributariam olim Romanae ecclesiae provinciam haeresis irrepsit. Faxit Deus, ut aliquando sapiat, et redeat. Vide praeter alios Nicolaum Sanderum in Libro de Origine ac Progressu Schismatis Anglicani.¹

Nicolaus Vernulaeus

¹ Vide annot. primam in Praefationis extrema p. iii.

PERSONÆ TRAGÆDIÆ

Henricus rex
Catharina regina
Maria Catharinae filia
Thomas Morus
Ioannes Fisherus, episcopus Roffensis
Laurentius Campegius
Thomas Volsaeus
Ioannes Longlandus
Thomas Cranmerus
Franciscus Brianus
Guilhelmus Varamus
Senatores
Anna Bolena
Aloysia Mori uxor
Margareta Mori filia
Haeresis
Luxuria
Impietas
Tyrannis
Religio catholica
Ratio
Pietas
Clementia
Angelus
Chorus virginum
Chorus exulum catholicorum

ACTVS PRIMVS

Haeresis, cum pessum statuisset Angliam dare libidines regias instigando Bolenae, ad id assequendum suorum cuique suum tribuit munus. Rex, libidine latus, licentiam sibi regi esse putans tantam, amorem confitetur Bolenae, quae vero ei nisi marito se negat. Calamitatem Brianus providet magnam instantem. Volsaeus, qui suis motus causis amori favet regio Bolenae, primum consilia cum Longlano communicat sua, deinde una cum eodem regem ipsum de matrimonio Catharinae iure irrito ipso certiores facit, hortans, ut a pontifice iudicium petat novum. Henricus, occasione ex improvise oblata utens libenter, pietatem autem et clementiam et rationem negligens, Longlano mandat curare, ut pontifex iudicem dicat, qui matrimonium sit dissoluturus. Virgines dolores Angliae maximos regisque ruinam cum lacrimis praedicant multis.

SCÆNA I

Haeresis, Luxuria, Impietas, Tyrannis

Haeresis:

Orbem sepultum, lūcis immūnēs domōs
taetrumque linqū noctis īfernae chaos,
genitrīx nefanda fraudium et saevae parēns
crūdēlitātis, Haeresis. Tītān, tuōs
absconde vultūs, flammeī occiduās petant
undās caballī, nūlla lūx spargat diem,
et ipsa noctis parvula obscūrum tegat
vēlāmen astra. Tartarī rūpī forēs
cālīginemque noctis aeternae induī.
Ēn horret ipse mundus, et passū meō
concussa tellūs trepidat : hoc ōmen mihi est.
Bene est, abundē est, fiat hoc, fiat scelus,
quodcumque mente mōlior dīrum, novum,
īnūsītātum, trīste, terribile, efferum,
et quod Britannus nescit. Anguineum hoc caput
et vōs, sorōrēs, testor, et Stygis arbitrum
et quī tremendam flēbilī tundit domum
horrōre Phlegetōn : versa iam, versa Anglia

latus in ruīnam flectet, et pestem trahet.
 Britanna tellūs, hāctenus celsum caput
 et extulisti nōbilēs caelō manūs.
 Fidei Quirītum iam sit indultum satis
 Rōmaeque sacrīs. Ille Tarpēiā tonāns
 ē rūpe rēctor Angliae quondam suae
 nunc iūra perdat, fūnera et dīrās necēs
 numeret suōrum ; ferre quī Rōmam queunt,
 paucī hīc cruentō finient fātō diem.
 Mea ista tellūs, rēgis Henrici meum
 libidō rēgnum sanciet : nempe hoc ratum est,
 ubīcumque surgit haeresis, surgit nefās.
 Et scelere semper nāscimur ; quisquis Deō
 amēns rebellat, sceleris īfandī est reus.
 Certa iam sunt auspicia ; Venerem suam
 rēx ustulātus dēperit ; nātam suam
 et quam nefandō genuit incestū¹ pater,
 habēre iam vult coniugem. Frūstrā tuum
 ab urbe lentā fulmen excutiēs manū,
 pater Quirītum ; sōla plūs poterit Venus
 quam tot minārum plaustra. Iam tandem meae
 tandem sorōrēs, pergite. Hīc partēs tuae,
 Luxuria, prīmae suntō, fēcundīs alēs
 flammīs amōrem ; torreās rēgis iecur,
 et intus altō vulnere in flammās eat.
Luxuria: Nostrīs perustus ignibus tōtus furit.
 Ūnum est Bolēna rēgis idōlum ; vel hanc
 sociāre mēns est coniugem, et prīmās torī
 violāre lēgēs, vel piaie Rōmae sacrās
 nōn ferre lēgēs. *Haeresis*: Alter est sceleris gradus,
 tonantis īrās, lēgis hūmānae minās,
 et quicquid ille montibus septem tonat
 prīnceps sacrōrum, temnere. Impietās, tuum est

¹ Vide Praefationis p. iv de Bolenae stirpe sanguinea.

mūtāre rēgis pectus ; aut dūcat suam
dēmēns Bolēnam, aut iūra Tarpēi patris
contemnat audāx. *Impietas*: Rēgis hoc animō sedet ;
et dum voluptās paelicis pandit sinum,
caelī recēdit cūra. Quem captum Venus
amplexa stringit, ūnicum nūmen colit
Venerisque nūmen. *Haeresis*: Nūmen hoc ūnum volō.
At cum cruōrem sitiāt et dīrās necēs
quicumque mollis, nunc tuae partēs erunt,
Tyrannis. Igitur efferā mentem et manum :
exilia, caedēs, sanguinem effūsum velit.
Tyrannis: Et efferātum et mente crūdēlem impiā
agitābō rēgem ; dum suō dēmēns sinū
stringet Bolēnam, rēgiōs pāscet cruor
effūsus oculōs. Ūnicō ēdictō necēs
plūs mille sparget : sanguine undābunt viae,
cadāverumque longa dūcētur struēs.
Haeresis: Ēn ipse ; rēgem cingite āctūtum simul ;
īnstāte circum, sauciī cordis forēs
pulsāte, amāns amēnsque sit, nec sit suus.

SCÆNA II

Henricus rex, Luxuria, Impietas, Tyrannis

Henricus rex:

Equidem serēnum fulget ē scēptrō iubar,
et ista splendet purpura, et sacrae micat
diadēma frontis. Nempe sic fūcō tegit
fortūna rēgēs, sic dolō innectit decus.
Decus istud alī verticis quantum nitet ?
At intus arcī pectoris cūrae gemunt.
Frontem serēnat fulgor, at pectus dolor
intus flagellat. Quicquid exōrnat, premit ;

quicquid serēnat, īnficit, quicquid micat,
 ācrī dolōre mordet, et tandem necat.
 Ūna est, dolōrem quae mihi tantum facit,
 ūna est Bolēna ; fascinō nam mē suō
 occīdit illa ; rīsus et fōrmae lepōs
 et ōris illa grātia et vernus decor
 istud perūrunt pectus, et flammās alunt.
 Ūnō trucīdant lūmina aspectū comae :
 animum hunc amōris vinculō blandō ligant.
 Tot hīs et illīs imperō populīs potēns,
 ūnī Bolēnae serviō : rēx sum, et miser
 sum servus īdem. *Luxuria*: Perge, rēx, hoc scīlicet
 rēgnāre tandem est, velle quod mentem iuuet.
 Quīcumque amōre pectus accēnsus gerit,
 servīre nescit ; iūris et lēgum simul
 nexum resolvit. Rēgīi vultūs decor,
 virīlis aetās, ōtium, mēnsae, quiēs
 aliquid requīrunt, quod tuus nescit pudor.
Henricus: Vtinam licēret ! Cūra nōn animum levis
 trīstem flagellat ; īgnibus carpor novīs,
 impletque celsa rēgīōs coniunx torōs.
 At hoc Bolēna pectus, hanc mentem trahit.
 Rēgīna placuit. *Lux.*: Languidum et maestum trahet
 idcircō pectus ? Veneris haud mīles novus
 in arma prōdīs : tua sī forsā placet
 Bolēna rēgī, placeat, et thalamum impleat ;
 implēvit illum māter, implēvit soror.¹
Henr.: Vtinam licēret ! Quae placet, nōn sīc cupit
 placēre rēgī ; coniugem oppōnit meam.
 ‘Amāre paelex nōn volō, coniunx volō
 sīc’, inquit illa ; nuptiārum vult fidem.

¹ Sanderus (vide annot. 1 in extrema Praefationis p. iii) in p. 34: ‘Rex igitur cum, et matrem prius, et postea Mariam filiam Bolenam pro concubina tenuisset, demum ad alteram quoque filiam Annam Bolenam, animum adiacere coepit.’

Lēnīmen aegrō pectorī nūllum facit.
 Haec misera sors est rēgis, hoc vulnus meum,
 et ūsque et ūsque vulnus excrucians meum.
Impiet.: Et amās, et haerēs ? Nōn habet lēgēs amor ;
 solvendus iste cordis imbellis pudor.
 Etiam monarchīs multa, quae nescīs, licent.
 Alēsne vīvam pectoris laesī facem ?
 Et aestuābit cordis accēnsī furor,
 suspīriōsīs dum trahis vōtīs diem ?
 Cōnsilia quaere, et, quod placet, vōtum occupā.
 Dissolve quicquid impedit ; rēgī licet,
 rēgī placēre quod potest. *Henr.:* Ūna haec placet,
 vereor tumultūs ; Caesar¹ et rēgēs² scient,
 sī quid movēbō ; nec satis forsan meus
 probābit Anglus : interim occumbō miser,
 vīvēnsque et ardēns iam meōs mānēs ferō.
 Bolēna, quō mē, quō, Bolēna, mē trahis ?
Tyrannis: Heu lentus ardor ! Occupā vōtum manū,
 dolēre rēgēs nōn sciunt : quisquis potest
 aliōs sevērus cōgere, hic numquam dolet.
 Prīvāta languent tēcta, nōn aulae gemunt,
 optāre possunt cēterī, at rēgēs iubent.
 Sī quis probāre nōn volet, quicquid volēs,
 ostende ferrum ; verbera et minae et necēs
 vulgus coercent. Nōbilēs quōsdam favor,
 aliōs in istud, quod volēs, terror trahet.
Henricus: Hērōis in mē est sanguis et dīus vigor.
 Manet hoc repostum corde, quod mundus tremat.
 Est turpe rēgem pectoris flammam patī.
 Ēn illa ; mediīs aestuor praecordiīs ;
 ut videō, ut aeger occidō ; nūtū meum
 hoc pectus ūnō sauciat, mihi mē abstrahit.

¹ Carolus v imperii Romani sacri imperator.

² Franciscus I rex Francogallicus.

SCÆNA III

Bolena, Henricus, Brianus

Bolena:

Quid, rēx ? Quid istō maestus obtūtū novōs
 animō dolōrēs claudis ? Ēmergat iubar
 mentis serēnae ; sōla māiestās iacet
 dēiecta, maesta, languida et cūrīs gravis.
 Ēn cerne Phoebum, fulget, et clārum caput
 ostendit orbī, et aetheris magnī chorōs
 radiīs serēnat aureīs, tū, rēx, tibī
 incumbis ipsī : discute hoc, quicquid tuum
 obnūbit animum. *Henricus:* Sōla cum praesēns ades,
 mēns nūbilāta prīstinum admittit iubar.
 Tū cūra nostra es mentis et nostrae vigor.
Bolena: Dēpōne cūrās, ōtium rēgēs beat ;
 vacāre lūdīs tunc solent, et tunc suōs
 habent amōrēs. *Henricus:* Sōla tū nostrōs habēs.
 Admitte cūram, saucius prō tē hanc gerō.
Bolena: Prō mēne cūram ? Vīve rēx laetus tibī,
 ego laeta rapidīs trādidī cūrās Notīs.
 Mēns laeta citharās poscit et svāvēs iocōs
 mollēsque saltūs ; cum volēs, iungō manum.
Henr.: Animumque iungās ; magna pars cordis meī es
 et magna cūrae. Crēde, iūrātus loquar :
 amōre pectus vulnerās lentō meum,
 et sōla nostrī pectoris flammās alis.
 Coniunge vōtis, dum licet, animum meīs.
Bolena: Īgnōsce rēx, iūrāta mēns haec est mihī.
 Hanc castitātis nēmō dēcerpet rosam,
 nisi sit marītus. *Henricus:* Crēde mē spōnsam tibī.
Bolena: Fit spōnsus ille, quī prius iūrat fidem,
 spōnsamque dūcit ; coniugem iam rēx habēs ;

rēgīna thalamī facta cōnsors est tuī.

Henricus: Tū iūncta rēgī, cum volēs, coniunx meō
amōre fīēs : sit satis, quandō placēs,
et vulnus istud pectorī quandō facis.

Amōre pīma semper et vōtīs eris.

Bolena: Rēx parce, virgō nuptiās sacrās volō.

Haec certa mēns est, rēgium patiar libēns
sed virgō amōrem : discute hās cūrās tuās.

Pāx parta rēgnō est, Mārtius cessat labor,
fēlīcitatīs dōna nē temnās tuae.

Recreāre mentem fās sit. *Henricus:* At per tē mihī,
Bolēna, fās sit : cordis īdōlum meī es,
amōre victum iam tuō rēgem vidēs.

Bolena: Amōre victus coniugem fac mē tuam.

Amāre tantum coniugem possum meum.

Sed ista linque ; vulnus augēscit morā,
et cūra mordet ācrius, quandō placet.

Vtinam licēret, quod cupis. Nunc dum licet,
aetātis istud perdere haud fās sit decus.

Levāre maestam iam decet mentem iocīs,
cūrāre rēgēs nōn solent, quod nōn placet ;
annōsque trīstēs semper odērunt suōs.

Fac aula cantū personet ; saltūs novōs,
alloquia blanda tempus hoc pācis petit.

Henricus: Eāmus, aulam laeta tū mēcum subī.

Brianus: Ēn ille rēgis ardor, ēn rēgis facēs.

Ūna est Bolena rēgis incēnsī Venus.

Amōre tōtus vincitur, tōtus perit.

Et tōtus illam dēperit. Dulce est malum ;

calamitātem naufragus quaerit suam,

et illa virgō scīlicet, cautō virum

dum quaerit astū, rēgium poscit torum.

Muliere cautā pēius haud ūllum est malum.

Sermōne pectus laedit, atque oculīs nocet.

Iūrandō semper fallit, amplexū necat.
 Sed ēn, nec errō, cernō Volsaeum, gravis
 Rēs agitur intus, cūra sollicitum tenet.

SCÆNA IV

Volsaeus, Longlandus, Brianus

Volsaeus:

Longlande, rēgis in tuā est manū salūs,
 ut ecce amōre tōtus īnsolitō furit ?
 Nescit quiētem, quisquis hanc flammam gerit.
 Amor potīrī cum nequit, tunc fit furor.
 Scīs ipse, magnī quod volunt rēgēs, sibī
 licēre cupiunt. *Longlandus:* Impetū rēgēs agunt
 plērumque tantum ; quod volunt, idem iubent,
 cum fervet aetās, cēdere haud cuiquam sciunt.
 Lēx est voluntās. *Vols.:* Irritum numquam volunt,
 quod velle possunt ; sit tamen vōtīs modus.
 Rēgis salūtem quaerere, hoc mūnus tuum est,
 modum docēbō. Crēde, nam caelō loquor
 Deōque teste ; pectus hoc nostrum Tonāns
 animīque cūrās cernit ; hoc ūnum volō :
 aeterna nostrī certa sit rēgis salūs.
 Silēre vellem, quod tamen cōgor loquī.
 Arcāna nōstī rēgis, arcānum hoc quoque
 iam nōsce tandem. Nuptiās rēgis ratās
 nēmō probābit doctus, haec certa est fidēs :
 Catharīna rēgī nupsit, haud potuit tamen.
 Accipere frātris coniugem frāter nequit.
 Dīgna illa cōsors est torī, sed lēx vetat.
 Simulāre semper est nefās, quod lēx vetat.
 Monēre rēgem convenit ; partēs tuae
 etiam hoc requīrunt : ī, monē, et sēnsu meae

expōne mentis, certa rem ratiō docet,
 fidēs revēlat. *Longl.*: Cōsulam, quandō hoc decet
 rēgis salūtī, mentis hunc sēsum tuae
 cūrāsque prōmam. *Vols.*: Grātus accēdēs, modus
 hic sōlus esse rēgiō ardōrī potest
 etiam salūtī. *Longl.*: Pergō, tū praestō hīc manē,
 dum rēx vocābit. *Brianus*: Grātius rēgī nihil
 amōre tantō est ; quisquis inveniet modum,
 rēgem obligābit ; ferre vix tantam potest
 sub corde flammam ; crēscit ardor, dum suī
 negat Bolēna cōpiam ; semper placet
 habēre, quod quī nōn potest. *Volsaeus*: Rēgis salūs
 cūranda semper omnibus ; rēgnī hoc caput
 incolume quandō est, certa membrōrum est salūs.
 Briāne, fāmam rēgī et nōmen cole.
Brianus: Dēfendō fāmam : rēge prō nostrō morī
 etiam est decōrum ; faxit, ut tantus modum
 inveniat ardor. *Volsaeus*: Certus est, sī vult, modus.
Brianus: Ēn concitātō properat ipse rēx gradū.

SCÆNA V

Henricus, Volsaeus, Longlandus

Henricus:

Volsae, sī quam rēbus apportās opem,
 expōne mentem ; corde cōnfūsō ruō,
 mēns lāpsa retrō cēdit, hūc volvor tremēns,
 illūc revolvor dubius ; ac pontī velut
 incerta mōtūs unda nōn capit suōs,
 sīc flector, et sīc agitor, et languēns feror.
Volsaeus: Haec lēx loquendī certa sit : rēgis salūs.
 Tuam salūtem, magne rēx, sōlam petō.
 Necessitātis inde libertās mea est :

patere admonentem. Nōn decet quicquam ducēs
nescīre magnōs ; quippe quōs multī timent,
quī regere certō multa cōnsiliō solent.
Praeesse populīs vōs Deus rēgēs cupit,
et iūra ferre subditīs ; nōn est, reor,
errāre rēgum ; namque dum peccant ducēs,
peccāre certō vulgus exemplō docent.
Henr.: Errāre forsān mē putās ? *Vols.*: Equidem putō,
at ipse nescīs, error incertus tibi est ;
Catharīna nōn est, quam putās, coniunx tua.
Quaeque ante coniunx frātris Arthūrī fuit,
rēx, esse coniunx nōn potest umquam tua.
Ōrāculōrum sī fidem certam petis,
sacrae loquuntur pāginae ; tōtō docent
in orbe doctī ; sapere rēx tandem decet
sērō, sed error sērō pōnendus tamen.
Henricus: At iūdicāta rēs fuit ; quicquam hīc cavē
movēre rūrsum, pontifex lēgem dedit,
permīsīt idem. *Volsaeus*: Fateor, errāvit tamen,
aeternus ille quod vetat mundī Tonāns,
permittere ipse nōn potest. *Henricus*: Doceās modum ;
tollātur error, sī quis est error meus.
Īgnōscet aether, error aetātis fuit.
Cōnsilia saepe prāva dēcipiunt ducēs.
Volsaeus: Putāta thalamum dēserat coniunx tuum,
modus ūnus iste est ; alia succēdat tuam
coniunx in aulam. Pontifex lēgem dabit,
permittet idem, cum volēs ; error prius
sit nōtus illī ; nēmō dēlictō favet,
cuī certa cūrae est omnium rēgum salūs.
Henr.: Longlande, quod rēs poscit, āctūtum expedi.
Perscribe Rōmam, nōtus error sit meus,
Dīcatque summus iūdicem iūdex meum.
Longlandus: Cūrābō iussa : sacra māiestās tua

etiam per Anglōs discutī hoc, quicquid latet,
nam magna rēs est, iubeat. *Henricus*: Hoc cūrā simul :
habēre certam coniugem iam rēx volō.

Dūcātur alia, iūra sī ductam negant.

Volsaeus: Sit alia magnī Galliae rēgis soror,
est dīgna rēge, rēgius sanguis simul.

Henricus: Istud vidēbō ; quod petit tempus, silē.

Volsaeus: Cūrābō, quicquid postulat rēgis salūs.

SCÆNA VI

Henricus, Ratio, Pietas, Clementia

Henricus:

Iam certa sors est, sortis invēnī modum :

abeat, recēdat, esse quae coniunx nequit.

Prīma est salūtis cūra, rēgnōrum altera.

Catharīna coniunx, cūius acceptae pudet,
retinenda nōn est ; abdicō, ēiūrō, abnuō.

Mihī Bolēna liberōs coniunx dabit.

Vōtum hoc amōris est meī ; haec coniunx placet.

Ratio: Catharīna linquat rēgium coniunx torum ?

Abeat ? Recēdat ? Iūra nātūrae dabis

sīc versa retrō ? *Henricus*: Iūra nātūrae sequor :

haec esse coniunx nōn potest ; nōn, nōn potest !

Ratio: Quae lēge dūcī potuit, esse quid vetat ?

Retinēre ductam coniugem lēgēs volunt,

mandat Monarcha caelicum. *Henricus*: Spōnsam meī

retinēbo frātris ? Nōn licet. *Ratio*: Fās est tibī,

fās esse quod vult pontifex : lēgem dedit,

ēdīxit idem nuptiīs nūllam tuīs

obstāre lēgem. Crēde sacrōrum patrī.

Henr.: Amō salūtem ; nōn placet. *Ratio*: Tibi nōn placet

tam sāncta coniunx, mōribus quae iam suīs

ōrnat Britannōs, sāncta quae meritīs Deum

conciliat Anglīs, clāra quae prōlēs ducum
rēgumque sanguis ? *Henricus*: Nōn placet, cūram meae
gerō salūtis. *Pietas*: Scīlicet cūram tuae
geris salūtis, iūra cum spernis sacra,
et quod refixit pontifex. *Henricus*: Nīl hoc moror ;
errāvit ille pontifex, sed nunc mihi est
tollendus error. *Pietas*: Nempe tē pietās movet,
cum foeda flammīs pectus incendit Venus.
Vereāre caelum, corda scrūtātur Tonāns
tumefacta rēgum ; lūdere impietās nequit,
vindicta certās quandō mōlītur facēs.
Henricus: Deus ipse nostrīs aperit hunc sēnsū malīs,
etiam favēbit. *Pietas*: Scīlicet Venerī tuae
Tonāns favēbit ; coniugem quandō tuam
coniunx repellis impius, quandō placet
aetātis illud, et tuae patriae luēs,
mōnstrum impudīcum, infāme, saeculī dēdecus.
Ratio: Etiamne ratiō nūlla tē rēgem movet,
vereāre fāmam ? *Henricus*: Fāma mē rēgem movet,
incerta thalamōs dum meōs coniunx tenet.
Probāre dēbet fāma, quod iam rēx volō.
Sancīre ferrō quicquid est, fīxum sedet.
Clementia: Ferrum benīgnōs nōn decet rēgēs ; tuam
benīgnitātis iūre fāmam sancīēs.
Vbi saeva rēgnat īra, nōn rēgnat diū.
Henricus: Peragere mēns est, quicquid optāvī prius.

CHORVS

Virginum Anglicanarum

Crūdēlis amor, quot mala miscēs,
animum rēgis quandō fatīgās ?
Nōn tot gravidōs Gargara culmōs,
nōn tot mōtūs Eurīpus agit

nōn tot minimās pontus arēnās.
Crūdēlis amor, miserōs torquēs,
pectora flammīs quandō perūris
ūsque catēnā longā cūrās,
ūsque dolōrēs lūctūsque trahēns.
Quisquis Venerem pectore claudit,
numerat longās tetricus hōrās,
dēserit aegrī taedia lectī,
temnit lautae gaudia mēnsae.
Nescit laesō corde quiētem
et lentō cōnsūmitur īgne.
Tyriō quamquam fulgeat ostrō
multīs, quamquam det iūra plagīs :
vetitō pectus sī ardet amōre,
miser aeternā est compede vīctus.
Et fit foedae victima Venerī,
tantumque suō servit amōrī.
Amantium haec est servitūs
placēre semper alterī
semper maeret, semper et horret ;
quidvīs spērat, metuit ; quidvīs
aestuat horrēns, torpet anhēlāns.
Quid tē exagitās, rēx Henrīce,
quid tot pectoris acuis mōtūs ?
Dīrum est aliquid, quodcumque dolēs,
quod tē miserum miserē īnflamat,
quod nec amandō lēnīre queās.
Heu tē, ubi doctae rēgula vītae,
et prīmae doctrīna iuventae ?
Heu tē, ubi sacrī virtūs animī,
cōnstāns validīs pectus in armīs ?
Omnia dīrus cōnsūmit amor,
et tē miserā tābe perēdit.
Placet heu rēgī sōla Bolēna,

placet heu rēgī sōla libīdō ;
 et sua nescit damna labōrāns
 inter Scyllās atque Charybdēs.
 Nam sīc perit, quī dēperit,
 nōn est suus, quī sīc amat,
 sērō sapiet cum mala nōscet,
 et cum patriam frēgerit omnem.
 Nōn casta placet rēgīna virō ;
 spurcae thalamum paelicis ardet ;
 nōn ūlla placet probitās mōrum :
 tōtum meretrīx possidet animum.
 Anglia quōs nunc, Anglia quōs nunc
 trīstī mittēs pectore lūctūs ?
 Hic rēgis amor certa ruīna est ;
 ūnaque patriam fēmina perdet ;
 dīcent nostrī saepe nepōtēs,
 fēmina validōs perdidit Anglōs ;
 fēmina mollēs reddidit Anglōs ;
 dum rēx turpī servit amōrī,
 optima patrum sacra relīquit.
 Heu flenda diēs, heu flenda diēs !
 Longae nōbīs lacrimae restant,
 et saeva patrum fāta timentur,
 amor hic blandō vulnere laedēns
 postea saevō vulnere perimet.
 Amōris iste fīnis est,
 perīre semper, nec morī.

ACTVS SECVNDVS

Catharinam, magno affectam dolore, solari conatur Morus, eam se adiuturum promittens, ut incepto desistat rex, eius animum dum calefacere pergit Bolena. Longlandus primum, senatus post, Roffensi episcopo et Moro loquentibus, Henricum monent Catharinam coniugem repudiatam nec populum Anglicanum nec regni Romani sacri imperatorem nec Franciae regem nec pontificem passuros, nedum Bolenam impudicam reginam novam, papam autem iudicem Campegium Roma misisse cardinalem, qui una cum Volsaero iudice moderaturus sit litem. Campegius, ab Henrico benevolo receptus animo, primam audiendam esse censet reginam. Catharina, a Volsaero ad causam invitata dicendam, rem actam a pontifice iam pridem esse arguit, sui que mali eum vocat indignata radicem. Apud iudices deinceps ipsorum potestatem, regi nimis faventium, negat peregrina, quae sit ipsa. Supplex ab Henrico petit, ut a pontifice audiatur ipso. Virgines queruntur fata iniqua patriae esse ferenda.

SCÆNA I

Catharina regina, Thomas Morus, pedisequae

Catharina:

Beāte rērum Rēctor, aeternō regis
quī cūncta nūtū, vītaque et lēx omnium :
cuius serēnōs sāncta māiestās polōs
aeternitātis lēge fātālī movet,
rēgumque scēptra frēnat, et mundī vicēs
eādē gubernat. Ergōne incertō fluunt
hūmāna cāsū, dēspicis terrās Tonāns,
et fāta rērum sorte volvuntur suā ?
Aurāte Phoebe, magne saeclōrum parēns
lūcisque rēctor, tūque, quae noctū vagās
regis cohortēs sīderum, et noctem face
dubiā gubernās semper hōs lūctūs gravis,
cernētis imbrēs ? Nūlla nox, nūllus diēs,
quīn effluentēs cernat abruptō meās
torrente lacrimās. Occidēns Phoebus videt,
videt et renāscēns, ūnus est nostrae labor
et cūra vītae, flēre. Quō tandem, Deus,
et ūsque et ūsque pateris, et lentā nefās

permittis irā ! Scīlicet quandō tuās
 observō lēgēs, rēgiū quandō torī
 intācta servō iūra, nec prāvō fidēs
 violāta mōtū est, rēgiā expellar domō
 nōn dīgna coniunx ? Iam datam solvit fidem
 rēx et marītus ; paelicī astringit fidem,
 et impudīcum rēgiōs scortum torōs
 maculāre tentat. Culpa quae tandem est mea ?
 Semper marītum casta dīlēxī meum,
 colūique rēgem, tōta rēgīnam Anglia
 nōn ūsitātīs mē extulit semper modīs.
 Et nunc et istud rēgiō in soliō probrum,
 et nunc et istud rēgiō scortum in sinū,
 et nunc et istam rēgiae lābem domūs,
 expulsa et abdicāta et ēiecta et vaga
 vidēre cōgar exul, atque exul patī ?
 Ō immerentēs ! Immerentēs sed tamen
 ō īte lacrimae ! Perīit īnsānō meus
 amōre coniunx, corde mē extrūsit suō
 ō dīra, falsa, incerta rēgnōrum fidēs !
Morus: Rēgīna, tantō quid tuum lūctū quatis
 animum immerentem ? Solitus excēdit genīs
 rubor decorque ? Sī quod īnsurgit malum,
 oppōne pectus ; sī quis excruciat dolor,
 aperī dolōrem. *Catharina:* Quisquis est nostrum dolor
 animum flagellāns, nōtus est cūctīs dolor.
 Amor ille rēgis coniugis meus est dolor.
Morus: Ventūra lūgēs ; tantus incertā dolor
 causā creātur ; temporī aptārī decet,
 spērāre semper : impetū sēsē suō
 amor iste franget ; indolēs rēgis diū
 servīre nescit. *Catharina:* Nōn capit lēgēs amor,
 nisi sē fatīget, cēdere haud umquam volet.
 Et fascinātus in nefās praeceps ruet.
Morus: Scelus istud Anglus nōn feret. *Cath.:* Multī ferent,

et prava rēgem cōnsilia sēcum auferent.

Morus: Meliōra cernēs. *Cath.:* Nempe cum expellar domō, rēgnō, thronō ; nam restat hoc ūnum, reor.

Morus: Tolle ōmen istud, nostra rēgīnam Anglia numquam repellet. *Catharina:* Rēgis hīc agitur salūs ; accūsāt ipse nuptiās, negat ratās.

Obicere crīmen nōn potest ; paelex placet, et casta coniunx displicet. *Morus:* Brevis est furor ab amōre semper ; illa quae rēgī placet, mox displicēbit. *Catharina:* Nesciō, mentem timor percellit atrōx, serpit in corpus gelū, et dubia noctis pectus excruciat fidēs.

Vīdī, sopōrem membra cum caperent levem, diadēma raptum verticī, et scēptrum meās līquisse dextrās ; horruī, exiluī, stetī attonita, sed mox rēgiā avellor domō.

Morus: Nox ista fallit, flūxa noctis est fidēs, umbrātīlique somnus impōnit dolō.

Equidem dolōre vix potest aliquō tuum carēre pectus ; indolis magnae vīgor iniūriārum ferre tot fraudēs nequit.

Spērāre liceat attamen : causam tuam dēfendet Anglus, pontifex, Caesar, tua Ibēra tellūs ; pectus hoc sīquid potest, etiām patēbit ultimae prō tē necī.

Catharina: Grāta est voluntās ista ; sī rēgem petās, dēfende causam, Mōre. Vōs mēcum meae venīte famulae, vester in nostrō est dolor amōre. *Pedisequa i:* Noster in tuō est lūctū dolor, et dum dolōre rēgium pectus fremit,

artūs tenellōs nūlla pertentat quiēs.

Catharina: Meum est timēre, quicquid impendet malī.

Pedisequa ii: Nihil ēvenīre trīste rēgīnae potest, quīn hoc rūnīs terreat pectus novīs.

Catharina: Venīte mēcum, cūncta dispōnat Tonāns.

SCÆNA II

Henricus, Brianus, Bolena

Henricus:

Briāne, dīc, quae fāma iam rēgis tuī est ?

Brianus: Rēgem salūtis esse sollicitum suae.

Namque ūna tōtō potior est rēgnō salūs.

Henricus: Quid dē Bolēnā ? *Brianus:* Rēgiō dīgnam torō,

dīgnamque scēptrō virginem, dīgnam tuō

amōre amīcam. *Henricus:* Nōbilēs ecquid meī ?

Ecquid senātū ? *Brianus:* ‘Quod placet rēgī, placet ;

cūranda semper’, inquit, ‘p̄imum est salūs.’

Henricus: Istōs verēmur attamen. *Brianus:* Paucōs timor

invāsit aliquis, causa quae sit, haud sciunt.

Iūdicia populī nēmō rēx cūrat suī.

Rēgem sequuntur nōbilēs, quandō favet.

Spēs dīgnitātis allicit ; iūdex suī

nēmō esse rēgis dēbet. *Henricus:* Ast ōrdō sacer.

Quid ille dē mē ? *Brianus:* Murmurat, causās petit,

dīvīsa partēs studia iam multās habent.

Probāre multī nōn volunt, plūrēs probant.

Henr.: Quid tū, Briāne ? *Brianus:* Rēgibus quicquid lubet,

istud licet : nam iūra rēgēs nōn ligant.

Quae grāta sunt, sunt licita rēgnantī bona.

Amāre p̄imum quod volunt, dein fruī.

Rēgum est voluptās, subditōs decet labor.

Henricus: Agedum, voluptās haec mea est ; hoc cor meum,

haec spēs, Bolēna, pallidum excutiās metum,

et mordicantēs exulent cūrae procul.

Fīēs beāta rēgis amplexū tuī.

Bolena: Istō licēbit, cum volēs, tantum modō,

dūcēs pudīcam virginem, castam, probam.

Fidēs pudōris integra est. Equidem tuus

mihi iam medullās tangit et fibrās amor,
 tuōque vultū vulneror, numquam tamen,
 (gemmāta caelī tēcta, dīvōrum domōs,
 ipsumque testor lūcis aetheriae iubar)
 numquam pudōris claustra solventur meī,
 nisi nuptiārum vinculō. *Henricus*: Rēgis precēs
 etiam repellēs ? *Bolena*: Cum pudōre sint precēs.
Henr.: Cum amōre sunt. *Bol.*: Nec virginem solvent precēs,
 nec amor pudīcam. *Henricus*: Nempe tū nescīs tuum
 amāre rēgem. *Bolena*: Tē meum rēgem colō ;
 sī vīs, amābō coniugem. Nōstī, meum
 quō flagret īgne pectus, at pudor placet.
Henricus: Briāne, cūrā, nē quid huīc dēsīt meae.
 Subīte in aulam, cōnsilia volvam hīc mea.
Brianus: Longlandus ecce rēgis affātum petit.

SCÆNA III

Henricus, Longlandus

Henricus:

Vt semper aequor turbidō impulsum Notō
 vel hūc vel illūc flūctibus frāctīs cadit,
 sic vīta rēgum ; turba cūrārum īnfluit,
 et turba rūrsum ; nūlla rēgnantum est quiēs.
 Sī arrīdet aliquid prīncipī, haud vulgō placet.
 Et iūdicāre prīncipem cūctī volunt.
 Numquam voluptās libera est. Testor tamen
 radiantis aethrae nūmen, aut vōtum assequar,
 aut cūcta vertam. Nūllus in rēgem est satis
 iūstus tumultus ; arguant, damnent, fremant,
 scēptrum Bolēna capiet et rēgis thronum.
 Haec est voluptās, et voluntās est mea.
 Longlande, quid tū ? *Longlandus*: Pāruī iussīs tuīs ;

discussa rēs est tōta ; nec certī satis
 iūris, quod optās. Nuptiās cūctī probant ;
 dubitāre paucī vix queunt. Mentī tuae
 hanc adde lēgem ; quod volunt doctī, sequī.
 Ūna est salūtis, crēde, rēx, certae via,
 quod lēge certā praesulum sānxit pater
 mūtāre nōlle. *Henricus*: Rūsus in dubiōs trahis
 animum tumultūs. *Longlandus*: Tōta rēginam Anglia
 amat, petitque ; sāncitās vītae placet
 castīque mōrēs et pudor, pietās, fidēs.
 Reperīre virtūs ipsa māiōrem nequit.
Henricus: Decus omne, fateor, integrae vītae tulit.
 Tam sāncta, tam pudīca, tam affātū gravis.
 Virtūte radiat, iubāre quam Phoebus magis.
 Quid fiet ergō ? Dēseram, quod rēx volō ?
 Quod amō ? Quod istō pectōre occlūsum latet ?
 Meum revellam cor mihi ? Numquid mihi
 quicquam est timendum ? *Long.*: Forsitan Caesar tibi,
 rēx, est timendus ; namque rēgīnae suam
 putat esse causam. Crēde, rēx, Burgundica
 domus hīc labōrat ; dēdecus nescit patī
 rēgālis ille sanguis, irās colligit,
 subitōque mōtū saevit, et quod nōn cupit,
 sevērītate vindicat. *Henricus*: Rūsum abripis
 mentem in tumultūs, Caesar est armīs potēns,
 validāque tōtum territat mundum manū :
 et imminēre iam meīs rēgnīs potest.
 Quid heu ? Quid amēns corde turbātō loquor ?
 Istum verēbor Caesarem, et scēptrum geram ?
 Pārēbō rēgnāns Caesarī ? Plūsquam est satis ;
 fiet, quod optō. Pontifex utinam meōs
 probet dolōrēs ! Dēbet hic multum mihi ;
 iūvī vocātus, quicquid optāvit, dedī.
 Meritīs rependat grātiam. *Longlandus*: Nōvit tuam

iam Rōma causam, pontifex mōtus dolet,
favēre vellet ; merita commōtum trahunt.
At statuat aliquem ut arduae causae modum,
ab urbe mittit iūdicem. *Henricus*: Quem ? Ēdissere.
Longlandus: Ē purpurātis patribus Campēgium.
Volsaeus alter iūctus est iūdex simul.
Henricus: Bene est, solūtō corde iam liber feror.
Audīta multōs causa dissolvēt dolōs.
Numquam recūsō iūdicem : āctūtum meās
subeat in ōrās. *Longlandus*: Angliae portum tenet,
subitque rēgnū. *Henricus*: Perge, quod superest, tuīs
hoc mandō cūrīs ; quod petit tempus, parā.
Longlandus: Sed ēn senātus, rēgium accēdit thronum.

SCÆNA IV

Senatus, Henricus,

in senatu Roffensis episcopus, Morus et alii

Roffensis:

Fortūnet aether, magne rēx, scēptrum hoc tuum.
Vidēs senātum, causa commōtum trahit
tuaē salūtis, cōnsule et rēgnō et tibī ;
precāmur omnēs ; Anglia expandit manūs,
supplexque rēgī lacrimās offert suās.
Numquam repelle coniugem sānctam, piam,
et castitātis inclutae exemplar novum.
Vīs magna rēgum est ; aureā quicquid face
surgēns ab undīs lūstrat, aut tegit cadēns
currū solūtō Phoebus ; hoc rēgēs habent.
Submissa tellūs, ceu vicēs magnī gerant
tonantis, illōs suspicit, tremit, colit.
At ipse rēgum rēctor, et rēgum est Deus,
cuius tonantēs nūmen horrēscunt poli,

timentque m̄anēs ; hunc decet r̄egēs Deum
 semper pavēscant : sī quis irr̄itet polōs
 superbientis error īnfandus thronī,
 frūstrā haud coruscōs aethere incussō globōs
 mōlītur, altōs verticēs r̄egum quatit,
 et r̄egna vertit integra, et plēbem opprimit.
 Istud verendum est, ūna nē tōtum premat
 ruīna r̄egnum. Nōn feret, numquam feret,
 quod obstinātā mente mōlīris nefās :
 ēicere ductam coniugem, et foedā sacrum
 polluere thalamum lābe. Nōn dubiō est locus,
 rem iūdicātā solvis, et certam negās.
 Latēre r̄egum scelera nōn possunt diū,
 iam fāma sparsit. Ista trānsversōs agit
 cupīdō r̄egēs ; cordis imperium Venus
 exercet omne, ratiō dēiecta est locō,
 animum voluptās cum subit. Sit r̄ex satis :
 audī monentēs, coniugem servā tuam ;
 et pōne quicquid impius sv̄adet furor.
Henricus: Amōris iste sermō, quem praesul facis,
 amōris in mē est ; nostra tibi cūrae est salūs.
 Grātum est : verērī sed tamen iam sit satis.
 Nihil hīc timēte, cōnscium testor Deum,
 amor hōc salūtis corde sub nostrō latet,
 nōn est libīdō, coniugem s̄anctam hāctenus
 habēre licuit, r̄egiā excelsam domō,
 vultū venustam ; placuit, ast ultrā nequit.
Morus: Cōnsulere fāmae m̄ximōs semper decet r̄egēs
 ducēsque ; vīta cum foeda est ducum,
 excutere sacrum subditī tentant iugum.
 Age, r̄ex, Bolēna r̄egium ascendet thronum ?
 Coniūncta r̄egī r̄egium implēbit thronum ?
 Quid fāma dīcet ? Vulgus īnfāmem putat
 et impudīcam, pr̄ōstitūtō quae suum

pudōre passim perdita exstinxit decus.
 Vīcīna testis Gallia est, scortum hīc fuit ;
 et nostra testis Anglia est ; virgō hīc prius
 frēgit pudōrem : fābula et vulgī probrum est.
 Vt nempe cōsors rēgis impūrā manū
 tua scēptra tractet ? Magne rēx, fāmae tuae
 meminisse dēbēs, laesa vix umquam redit.
 Et Chrīstiānō nūberet rēgī impia ?
 Sectam Lutherī sequitur et mōrēs simul.
 Ea fāma vulgī est. Tū tuum servā decus,
 titulō superbus iam novō, dum ecclēsiae
 dēfēnsor audīs.¹ Rōma nam numquam hoc nefās
 amīca cernet, ipsa damnābit nefās.
Henricus: Probāta, More, iam tua est rēgī fidēs ;
 grāta est voluntās. Ista nē rūsum occinās
 commenta vulgī ; ficta sunt, quae iam refers.
 Bolēna virgō est, fāma mentītur levis,
 sīc saepe lacerat optimōs vulgus virōs.
 Fāmam Bolēna temnit, involvit suōs
 virtūte mōrēs. Sit satis ; nunc dum est opus,
 quem Rōma mittit iūdicem, occursū prius
 excipite vestrō, cernō, namque ad nōs subit.

SCÆNA V

Campegius, Henricus, Volsaeus

Campegius:

Urbemque et orbem quī sacrā frēnat manū,
 rēgum secundus arbiter fēlix tibi
 iubet esse rēgnum : filium amplexū sacrae

¹ Henricus librum scripsit, qui inscribitur Assertio Septem Sacramentorum adversus Martinum Lutherum, Londinii a. 1521 editum, qua de causa Leo X papa d. 11 m. Oct. a. 1521 titulum DEFENSORIS FIDEI ei tribuit. Liber autem episcopo adiuvante Roffensi compositus esse dicitur.

dīlēctiōnis stringit et retinet suum.

Henricus: Vīvat beātus pontifex, rēgum parēns
dominusque rērum. *Campeg.:* Iūdicem causae hīc vidēs ;
mē mīsīt ille ; mandat, ut causae arbiter
Volsaeus adsit. *Henricus:* Sit licet, vōtum hoc meum est,
dēcernat aequum, quicquid errōrem facit.

Campegius: Iam certa tōtum fāma pervāsīt solum.

Mīrātur ipse pontifex, urget gravēs
Caesar querēlās, omnium est certus dolor.

Sī causa nostrō caperet arbitriō modum,
gaudēret orbis. *Henricus:* Optō, vōs fīnem date.
Regenda vestrō iam mea arbitriō est salūs.

Campegius: Vtinam licēret līte nōn mōtā exsequī,
quod poscit aequum. *Volsaeus:* Forte rēgīnae prius
svadenda pāx est ; ut reor, pācem volet.

Modesta, sāncta est, pācis optābit locum,
ut sōla vīvat. *Campegius:* Ergō rēgīnae prius
tentētur animus ; sōla sī vītā expetat,
rēs ācta tōta est ; iūdicēs sī nōs volet,
praestō ad tribūnal adsit. *Henricus:* Hoc iam sit ratum.
Nihil moror, Volsaeae, rēgīnam monē.
Subeāmus aulam, cōnsilia nōn deerunt nova.

SCÆNA VI

Catharina, Volsaeus, Varamus

Catharina:

Quis est rūmor ? Iūdicēs ergō meae
ab urbe causae pontifex magnus dedit ?

Varamus: Rēgīna, sīc est, purpurātus hīc pater
adest ab urbe, iūdicem hunc fās est patī.

Catharina: Ergō obstinātus rēgis īnsultat furor ?
Et ista caecō corripit victum impetū

libīdō rēgem ? Magne caelōrum Tonāns,
 ō quī recessūs cordium et fibrās vidēs,
 īmōsque scrūtāns pectorum nōstī sinūs,
 et ista pateris ? Istud āmentis nefās
 facinusque rēgis ? *Varamus*: Tanta tempestās tuum
 nē turbet animum, dīriget causam Tonāns,
 Volsaeus eccum ; forte mandātum feret.
Volsaeus: Rēgīna vīve. *Cath.*: Nempe rēgīnam vocās.
Vols.: Etiamque veneror hāctenus. *Cath.*: Nempe hāctenus ?
 Quid est ? Quid urgēs ? *Volsaeus*: Nuntium pācis ferō,
 sī grāta pāx est. *Catharina*: Grāta pāx est, sī mihi
 pācem relinquās. *Volsaeus*: Sī volēs ; iam iūdicem
 hūc Rōma mīsit, ipse cōnūbium ut tuum
 cum rēge nōscat : solvat, aut ratum probet.
 Haec est potestās. *Catharina*: Cōnūbium ut meum
 cum rēge nōscat ? Pontifex istud prius
 sānxit, probāvit, annuit ; magnī duo
 iūnxere rēgēs dexterās, foedus ratum
 fēcere nostrum, nāta prōlēs est mihi
 rēgīque, tōta grātulāta est Anglia,
 applausit orbis. Ecce bis dēnōs simul
 habitāmus annōs, certa cōnūbiī fidēs
 dubiōs reliquit optimōs numquam virōs ;
 quid nunc ? Et āctam rūsus agere rem cupis ?
Volsaeus, tantī causa tū sōlus malī es,
 perdisque rēgem. Scīlicet quandō tua
 gravis est libīdō, nec tibi nepōs meus
 favēre Caesar iam potest, in mē irruis,
 et dīra fundis odia, et exitium ingeris.
Volsaeus: Svādere pācem veniō, sī pācem volēs ;
 praestō est tribūnal, sī negās. *Catharina*: Cēde hinc, abī,
 veniam ad tribūnal, causa mē audācem facit.
 Ō sors ! Et ūsque et ūsque mē iactās tuīs
 adversa fātīs ? Ergō cōnūbiī mēi

quisquam revellet improbāns iūdex fidem ?
 Æterne Genitor, cernis hōs flētūs meōs,
 animī dolōrēs cernis, ō aliquod mihi
 sōlāmen ā tē ! *Procurator*¹: Domina, nē tantō tuum
 cōnfunde lūctū pectus, ēn rēgem vidēs,
 venit ad tribūnal, iūdicēs adsunt simul.

SCÆNA VII

*Campegius, Volsaeus, Henricus, Catharina,
 Brianus, Varamus*

Campegius:

Optanda fuerat optimaē pācis quiēs ;
 spēs ista nōn est ; causa iūdicium petit.
 Et nunc sedēmus iūdicēs. Summus iubet
 p̄ncēps sacrōrum pontifex. Tabulās lege,
 nostra ut potestās cōnstat et causae modus.

Recitatur pontificis mandatum.

Volsaeus: Dīcenda nunc est causa, rēx adsit prior,
 rēgīna deinde. Ferre māiestās suōs
 utrimque dēbet iūdicēs. *Campegius:* Nunc tū prior
 p̄ rēge loquere, deinde rēgīnae vicēs,
 quisquis subībit, ōrdō iūdicium regit.
Brianus: P̄ rēge causam, quandō māiestās iubet,
 aggrediar. *Var.:* Agedum, postulat nōndum hoc locus.
 In hunc et istum iūdicem assēsum prius
 requīre nostrum. *Brianus:* Iūdicēs ambōs dedit,
 (recitāta lēx est) pontifex ; nūlla est mora ;
 certa est potestās. *Varamus:* Lēx sit, assēsum negat
 rēgīna, quīvīs nōn darī iūdex reae
 dēbet, potestque. *Brianus:* Certa lēx est, quamdiū

¹ I.e. Varamus.

revocāta nōn est, aut novam lēgem docē.
 Aggrediar iterum. *Procurator*: Prōvocat, nōndum tibi
 dīcenda causa est : nec locum nec iūdicēs
 rēgīna patitur. *Catharina*: Prōvocō, appellō ; meus
 sit ipse iūdex pontifex. *Campegius*: Quid tē movet
 in hoc tribūnal ? Iūdicēs aequī sumus.
 Mandāta prōmās, ipse discēdam prior.
Catharina: Nec iste iūdicīi locus, nec iūdicēs
 favent querēlae. Lītis auctor hīc sedet,
 rēx ipse cūctās Angliae frēnāns plagās ;
 egō peregrīna. Iūdicēs ambōs sibī
 rēx obligātōs nōvit, et spērat suōs,
 utrumque fēcit praesulem. Testor Deum :
 prō līte nūllus pectus īnfēstat timor ;
 haec causa nostra est, prōvocō. *Volsaeus*: Frūstrā, novam
 vel prōme lēgem. *Henricus*: Quid tuās tantō genās
 rēgīna flētū spargis ? Haud odiō meus
 animus labōrat, cōnscium pectus patī
 istōsque dubiae mentis haud possum metūs.
 Cūra est salūtis ; causa dīcātur, volō.
 Prōnuntiāte iūdicēs, nec sit mora.
Catharina: Nīl prōvocātae iūdicēs causae dabunt ?
Volsaeus: Nec fās nec aequum est, causa dīcenda est tibi.
Catharina: Ō rēx, per istās lacrimās, sī quid meī
 amōris in tē est, supplicem cernis tibi,
 licet ipse nōlīs, coniugem, cernis tuam
 tuīque amantem coniugem ; per hās manūs,
 per ista genua, per tuum scēptrum, precor,
 per hanc meam, per hanc tuam nātam, precor,
 concēde lacrimīs aliquid, et quondam tuae
 concēde cārae coniugī, iūdex tuam
 meamque summus pontifex lītem audiat.
Henricus: Rēgīna, surge, quod petis, fiat volō.

CHORVS

Virginum Anglicanarum

Quicumque amat, flecti potest,
 humanitatis est capax.
 Libido succumbit sibi,
 cum pectus affectu tremit.
 Rex non ferre potest suae
 lacrimas pudicae coniugis.
 Animumque movit intimum
 vultus nitentis sideris.
 Sed ferre non potest diu,
 Venus quod obstat ausibus.
 Iterum redibit ad nefas,
 et rursus ardebit iecur.
 Simulare reges sic sciunt,
 vincuntur et vincunt tamen.
 Paucis Bolena nutibus
 flammam excitabit maximam.
 Haec est amoris magna vis
 nil ferre, quod flammis premit.
 Haec feminae vis pervicax
 voto potiri, quod iuvat.
 Victor, resiste, qui potes,
 namque illa vincens opprimit,
 Bolena iam regem tenet,
 flammam fovet, sed se negat,
 et dum negat, flammam fovet.
 Damnosa lateri fit comes,
 tractat dapnes, tractat toros,
 tractando regem decipit,
 tractando regem lancinat.
 Perversitatis est genus

miserōs amōre fallere.
Sīc sauciat placēns amor,
et amandō sauciōs necat,
frūstrā tamen, rēx hīc amat,
nam Rōma nōn probat scelus,
haec certa semper est fidēs
probāre, quod fēcit Deus.
Favēre Rōma dum solet,
fallere fidem numquam solet.
Prement tribūnal iūdicēs,
sed hī probābunt nuptiās.
Quod lēx probat, nēmō improbat ;
lēx certa vītae rēgula est.
Nōn aequitās probat nefās,
cum fert tribūnal aequitās.
Crūdēlis illa plūs tamen
saevīre contendet Venus.
Thronum Bolēna rēgium,
scēptrum Bolēna rēgium,
torum Bolēna rēgium
ascendet, accipiet, premet.
Restāre semper lacrimae,
restāre dēbent lacrimae.
Nōs hinc cantūs virginēs
et lacrimās dēmus novās,
nequeunt movērī lacrimīs,
nec fāta mūtantur prece ;
subīre fortūnam decet,
quam fāta dōnant patriae.

ACTVS TERTIVS

Iterum apud iudices Brianus primum Henrici aetatem tunc duodecim annorum opponit pueri, qui matrimonii futuri intellegere non potuisset causam, deinde Iulium papam quidem affinitatis impedimentum matrimonio Arthuris fatetur abstulisse, sed, matrimonio postea consummato, nulla lege humana frangi iura posse divina, quae has faciant Henrici et Catharinae nuptias illegitimas et ipso iure nullas. Varamus ante omnia potestati iudicum iterum adversatus, aetatem Henrici pueri refellit: eam nuptiis factis valere non sponsaliis. Notat autem quam pacem felicem Angliae attulerit matrimonium hoc, addit postremo illud, reginam virginem fuisse constare, cum Henrici intraverit lectum. Apud iudices rursus verba primus facit Roffensis episcopus, senex ille reverendissimus, pro regina causam dicens. Promittit libros, partim a se, partim ab aliis scriptos viris doctis, unde Henrici et Catharinae matrimonium secundum leges ecclesiasticas rite contractum esse plane appareat. His verbis deinde schismata addit Rydlaeus et sectas novas praedicens et bella secutura dira. Campegius sibi opus esse respondet tempore, cuius consilio cogitur se applicare Volsaeus. Remotis arbitris, cum rege colloquitur Morus, eum orans, animum ut mutet suum. Cum uxore et filia colloquens Henricus, domus dedecus suae in causa dicit non esse libidinem, nec coniugis se nec oblitum esse natae. Campegio papae iussu Romam profecto, Longlandus regem hortatur, ut pontificis iudicium ipsius exspectet, quod vero flocci non facere dicit Henricus: Bolena coniunx erit et nova regina. Matrimonio mox coram sacerdote quodam clam contracto, Cranmerus archiepiscopus Bolena capiti imponit coronam: victrix videtur cum suis Haeresis ista.

SCÆNA I

Henricus, Campegius, Volsaeus, Brianus, Varamus

Henricus:

Rūrsus ad tribūnal, iūdicēs ; numquam mora
obesse rēgī dēbet, et tantum moram
rēgīna quaerit. Pectoris mōtī vagōs
superāre flūctūs nequeō, succumbō mihī,
et dubia turbat, vexat, infēstat salūs.

Vacāte causae, iūdicēs. *Campegius:* Equidem cupis,
alia potestās facta rēgīnae fuit.

Et ipse iūdex pontifex Rōmae est datus.

Henricus: Sī prōvocāvit illa, concessa abnuō,

dīcenda causa est, ferre iam nōlō morās,
prōnuntiāte, iudicēs. *Volsaeus*: Nē sit mora
iterum ad tribūnal ; quicquid hinc, quicquid potest ;
pars inde prōmat. *Brianus*: Rēgium nūtum sequēns
aggrediar ergō. Iūliī scrīptum papae
diplōma prōmō, fraudibus nē sit locus,
errōre cōnstat : ōrdō falsārum patet
cuīcumque rērum. Rēgis Henricī fuit
aetās tenella, at istud hoc scrīptum negat,
nam nātus annōs ipse bis sēnōs fuit.
Hic nuptiārum finis, ut nostrī foret
pāx certa rēgnī : poterat at nōndum puer
meminisse pācis ; cumque rēgālēs torōs
Catharīna cōsors adiit, Henricus pater
trīstī suprēmam clauserat fātō diem.
Petīta Rōmae multa, dēscrīptae precēs,
missae, remissae ; quicquid est āctum, puer
nescīvit hic rēx : cūncta mandātō carent.
Affinitātis pontifex obicem abstulit,
equidem fatēmur ; alius īnfirmās obex
semper relīquit nuptiās, nec hunc suō
removēre iūre pontifex umquam potest.
Coniūncta namque tunc suō Arthūrō fuit
rēgīna spōnsō, passa quae coniunx virum est,
et dissolūtō est vinculō exclūsus pudor.
Haeret potestās prīma, nec quicquam hīc potest ;
et quod secūtum est, lēge fit nullā ratum.
Caelestis haec, et iūris hūmānī est fidēs.
Volsaeus: Dīcenda utrimque causa : nunc dīcat rea ;
diffugia rūrsum quaerere hīc certum est nefās.
Varamus: Nullam sevērī iūris aut lēgem novam,
veterem aut verēmur ; iūra rēgīnae probant
hūmāna causam, nuptiās nullus ratās
obex resolvit. Prōvocātae cesserat

rēx ipse causae, summus est iūdex papa.
 Cūr hoc tribūnal rūrsus ? At dīcam tamen,
 carēre iūre causa rēgīnae nequit,
 affinitātis pontifex obicem abstulit,
 fatēris, inquis : ‘Alter est obex’, ais,
 ‘coniūcta spōnsō passa coniunx est virum,
 adīre frātris potuit haud umquam torum.’
 Haec causa duplex. Verba nōn fallāx feram,
 affinitātis ergō nūlla vīs ratās
 dissolvit umquam nuptiās : hīc omnia
 hūmāna cessant iūra, nīl pactīs obest
 vīs nūlla lēgum. Fuerit aetātis puer
 tum rēx tenellae ; crēde, nōn aetās obest,
 cum lēge certā summus ēdīcit ratum,
 quod vult sacerdos, pācis augurium fuit
 rēgāle foedus, pācis experta est bonum,
 Britanna tellūs. Angliae testor plagās,
 quācumque tumidum parte dēspiciunt mare,
 flōrēre numquam posset hoc rēgnum magis.
 Hīc arma cessant, omnium ūbertās fluit
 optāta rērum, sacra māiestās, tuam hīc
 appellō mentem, testor hoc scēptrum tuum,
 ‘Saepe’, inquiēbās, ‘ista dēbentur novae
 fēlicitātis tempora uxōrī meae.’
 Ūna est, beātum quae facit rēgnum suīs
 rēgīna lacrimīs. Passa sed coniunx virum est
 rēgisque frātrem. Sī licet, testor tuum
 caelī Monarcha nūmen et Phoebī iubar.
 Nē iungerētur coniugī Arthūrus suae
 pater ante cāvit, cūra mātṛōnae data est,
 nam tābe pṛīnceps corpus īfirmum gravī
 languēns trahēbat ; ipsa cōfessa est probae
 rēgīna vītae, rūrsus appellō tuam,
 rēx magne, mentem, rēgiam appellō fidem ;

inventa virgō est, cum tuum intrāvit torum.
Tua ista vōx est, rēgiā nostram fidē
cōfirmō causam. Quicquid oppōnis, cadit ;
et vērītātis iūdicēs lūcem vident,
certāre levibus nōn decet tantum dolīs,
cum causa rēgis anxium exercet forum.
Campegius: Audīta causa est ; quid tamen ? Quid hī volunt ?

SCÆNA II

Roffensis, Campegius, Volsaeus, Rydlaeus, Henricus

Roffensis:

Novum hoc tribūnal, fōrma iūdicīi haec nova.
Inūsitātum rēgibus nostrīs forum.
Rēx ipse causam dīcit, et causam simul
rēgīna dīcit ; ipsa māiestās rea est.
Periēre mōrēs, aetheris magnī polōs
nōndum verēmur : certa cōnūbiī fidēs
ēn hīc labōrat. Iūdicēs, nōn est satis
solia ista premere ; levibus hīc ingēns modo
fit pūgna verbīs, causa perspecta est satis,
et nōta vōbīs rēgis in certō est salūs,
perīclitātur Angliae rēgnī salūs.
Hoc cōgitāte. Tollite ambāgēs forī,
ēn scrīpta causa est, quisquis oppūgnat, fidem
oppūgnat hostis, cernit hoc pectus Tonāns,
istās medullās cernit atque animī sinūs,
sī falsa scrīpsī, flammeōs ruptīs globōs
iaculētur in mē nūbibus, caput hoc Stygī
immittat ātrae. Sacra dīvīnī probant
ōrācla verbī, quicquid hic claudit liber.
Sī causa poscit, morte testābor meā.
Sī quis senīlī est corpore in nostrō cruor,

vōcem hanc probābit. Nuptiās, ō rēx, tuās
 sit testis aether, solvere in terrīs potest
 vīs nūlla lēgum. Cernite hōs et hōs librōs ;
 labōrat ōrdō, quisquis in rēgnō est sacer.
Camp.: Dēpōne librōs. Tū, quid in causam hanc movēs ?
Rydlæus: Inīquitāte mōtus accēdō forum
 et hoc tribūnal. Arbitrī in partēs eunt,
 iūsta hīc labōrat causa, dum iūdex timet,
 et iūdicāre, clāra dum rēs est, nequit.
 Vbi nunc sevērus Angliæ quondam rigor ?
 Etiam timētur vēritās ; aut est suā
 invīsa lūce ; lūcis istius iubar
 ēn hīs refulget in librīs ; lēgum sacra
 hīc iūra rēgis nuptiās firmās docent.
 Vōx haec bonōrum est. Anglia incumbit suīs
 iam prōna damnīs, dēserat nam sī suum
 rēgīna thalamum, schismata et sectae novae
 dubiaque penitus dīvidet rēgnum fidēs.
 Hinc bella dīrīs Caesar urgēbit minīs,
 armātus unde cīvis in cīvem ruet.
 Pretium furōris Anglia in ferrum cadet.
Henricus: Haerētis iterum, iūdicēs ? Frūstrā timent,
 quī verba fundunt. *Campegius:* Subita nē properēs reī
 iūdicia magnae, vēritās amat moram,
 quī iūdicandō properat, iniūstus ferē est.
Henricus: Rēs ipsa poscit clāra iūdicium breve.
 Etiam tribūnal dēseris ? *Campegius:* Sīc est opus,
 sī sēra causa est, magne rēx, patere hās morās,
 iūdicia Rōmae subita iūdex nōn facit.
Volsæus: Nec ipse nostrō sōlus arbitriō queō
 fīnīre causam ; patere, rēx, tempus breve ;
 et hoc tribūnal cōge, cum rūsus volēs.

SCÆNA III

Henricus, Morus

Henricus:

Quid igitur ? Ecce pepulit hoc pectus tremor ?

Cōnsurgit īra, serpit in fibrās amor,
īnstabilis īnstar aequoris raptus feror.

Quid, anime, titubās ? Vincar, et quod rēx volō,
nōn obtinēbō ? Nōn decet rēgem sequī
iūdicia lēgum ; iūdicem nūllus suum
rēx cōnfitētur ; ipse mihi iūdex erō.

Bolēna, quantō pectus hoc mōtū quatis !

Bolēna, quantō concutis rēgnum metū !

Tē ōdēre cūnctī, sōlus ego tē rēx amō,
cōnsurgit hostis Anglia, at prō tē feram,
quicquid ferendum est ; hic amor fīet furor.

Aut hanc probābunt coniugem, quam rēx volō.

Morus: Rēx magne, pauca prōloquar, sī dās moram.

Henricus: Ēloquere, Mōre : plēna lībertās tibi est.

Morus: Rēgīna mittit, quem vidēs ; ut tē Tonāns
rēgem suumque coniugem servet diū,
eadem precātur. Scīre māiestās tua

iam dēbet istud ; iūdicem missum prius

revocat in urbem pontifex ; iūdex erit,
dīcenda Rōmae est causa. *Henricus:* Dīcātur, volō.

Cūrābō, causae ut pontifex addat modum.

Morus: Rēx magne, pūblicāre mandātum decet.

Henricus: Satis ipse nōvī ; facite, lēgātī ut sciant.

Dīc, Mōre, nōvī pectus et mentem et fidem ;
numquid probābis nuptiās rēgis novās ?

Morus: Numquam probābō : līberam mentem vidēs,
numquam probābō. *Henr.:* Sī velim ? *Morus:* Nōn hoc licet,
quod semper optant prīncipēs. Nē rēx velīs

ēicere p̄m̄am coniugem, s̄i m̄ēns tibi est,
tibi tuaeque patriae exitium paris.

Henricus: Mihi acquiesce, Mōre, tū per mē novō
honōre surgēs. *Morus:* Nūllus hanc mentem mihi
mūtābit umquam, sit licet p̄m̄us tuā
honōs in aulā ; vir bonus cōnstāns manet ;
quem dōna flectunt, esse nōn potest bonus.

Henr.: Nīl, Mōre, prō mē ? *Morus:* Crēde, rēx, prō tē omnia,
et hoc acerbae corpus impendam necī,
s̄i sit necesse : ratiō permittit nihil,
mōlīris istud, quandō quod lēgēs vetant.
Rēx, ōrō, mūtā cordis hoc vōtum tuī.

Henricus: Hinc tū recēde, quod petis cūrae ōcius.

Morus: Rēgīna, rēx, ēn prōdit, audī coniugem.

SCÆNA IV

Catharina, Henricus, Maria filia

Catharina:

Abīmus ergō, cāre coniunx, ō nimis
mihi trīste nōmen ! Coniugem ut coniunx suam
ultrō repellat ? Iam tuō tōta excidī
amāta quondam pectore. Ō fātum grave !
Ō sors ! Et istās ingeris clādēs mihi ?
Vt tē relinquam ? Dēseram hanc aulam tuam ?
Potius per istud pectus et nōtōs tibi
sinūs cruōris ultimās guttās meī
ferrō requīre ; plus amōris hīc latet,
quam tū cruōris exigēs, coniunx. *Henricus:* Quid est ?
Dubium quid istud nōmen ? *Catharina:* Et dubium tibi ?
Hanc cerne prōlem ; fīliam hanc coniunx tibi ?
Nōn dubia peperī. Numquid ēiciēs parēs ?
Henricus: Sit ista nāta nostra, fortūnae est meus

tribuendus error. *Catharina*: Nempe fortūnae tuam
 tribuere nātam, genitor, et spōnsam volēs ?
 Ibēra tellūs cur reliquī tē ? Tuōs,
 Britanna tellūs, cūr subivī līmitēs ?
 Latēre potuī ; clāra rēgīnae in thronō
 fulsī, ut latērem : melius, ah ! melius Larēs
 potuī paternōs colere, coniunx ō tamen !
 Ō cāre coniunx ! *Henricus*: Forsitan coniunx fuī,
 hoc dum putābam foederis nōmen meī,
 nunc est apertus error, errōrem exuō.
Catharina: Istud negābis nōmen ? Admitte alterum,
 ō rēx ! *Henricus*: In istō nōn agō rēgem locō.
 Causa est salūtis, iūdicis vōcem petō.
Catharina: Patere ergō, quicquid postulat iūdex morae.
 Cūr ante coniunx displiceō ? Sī quod meum est,
 oppōne crīmen ; sī quod est, supplex precor :
 īgnōsce, coniunx ; supplicem cernis tuam.
 Tuamne dīcam ? Sum tua, et nātam tuam
 hīc ecce cernis. *Henricus*: Surge, nē terram premās.
Catharina: Quaenam ergō surgam, misera, dēiecta, impia ?
Henricus: Rēgīna surge. *Catharina*: Nōmen hoc sī dās mihi,
 rēgīna sacram rēgis appellō fidem,
 rēgīna nūlla est, aut simul coniunx tua est.
 Nōndumne nōstī coniugem, nōndum tuam ?
Henr.: Assurge, coniunx. *Catharina*: Per tuam, coniunx, fidem,
 per sacra nostrī iūra coniugī precor,
 per hās manūs, per hōs pedēs, per hanc meam
 tuamque nātam, cordis exclūdās tuī
 turpēs amōrēs : ūna tē īnfēstat Venus
 īnfāme mōnstrum ; cōnsule et fāmae tuae
 meaeque ; sōlus finiēs lītem arbiter,
 libīdō pectus foeda sī linquat tuum.
Henricus: Nōn ista causa est, rēgiae opprobrium domūs
 mē cōgit ; ipsa fervidam hanc mentem regās ?

Cath.: Meī mementō. *Henr.*: Sum memor. *Cath.*: Prōlis memor.
 Ēn ista prōlēs est tua. *Henricus*: Agnōscō meam.
Maria: Miserēre māt̄ris, genitor, et nātae tuae
 miserēre. *Henricus*: Nāta, sit satis, iam sum memor.
Maria: Miserēre māt̄ris. *Henricus*: Nūlla miseria est tuae,
 ō nāta, māt̄ris. Facere quid prō tē queō ?
Catharina: Faceret marītus quod suā prō coniuge ;
 faceretque quod rēx, rēgiam quandō fidem
 rēgīna poscit. *Henricus*: Vāde, nīl deerit tibi,
 praestābō quicquid rēgium dēbet decus.

SCÆNA V

Haeresis, Luxuria, Impietas, Tyrannis, Henricus

Haeresis:

Vt ecce languet ? Impotēns, trīstis, vagus
 ut hūc et illūc errat ? Vt sentit suī
 animī labōrēs ? Agite, nē pereat mihī,
 initia nostrī prīma sunt rēgnī potēns
 libīdō, pietās pulsa, crūdēlis manus.
 Renovāte flammās cordis, in flammās eat.
 Bolēna mentem turbet, et mōtūs ciat.
Luxuria: Etiamne frīgēs ? Membra torpēscunt gelū,
 et amās Bolēnam ? Nōn amās, tōta excidit :
 illa, illa, sacrum cordī īdōlum tuī,
 lūx illa vītae, grāta lūx vītae tuae.
 Nec amās Bolēnam ? *Henricus*: Sentiō, īgnēscunt fibrae,
 amō Bolēnam ; grāta lūx vītae est meae,
 et impedīre tot meōs, heu tot meōs
 cupiunt amōrēs ? Ipse coniūrat polus.
 Omnēs labōrant, ut meōs, quā vī queunt,
 tollant amōrēs. *Impietas*: Nempe dum languēs pavēns,
 dum iūs verēris, dum novās lēgēs timēs.

Favēre iūra rēgibus semper solent,
 cum iūra mūtant. *Henricus*: Anglia exitium pavet,
 verētur arma, tot minās, tot iam videt
 īnstāre clādēs. *Tyrannis*: Cor tibi iam, rēx, labat ;
 rēgnāre quī vult, cūncta contemnit potēns.
 Armatque dextram, stabilit imperium manus,
 cum vibrat ēnsem. Quandō rēx vim nōn facit,
 ultrō precātur ; nōn decent rēgem precēs.
 Iubēre rēgum est ; occidat, quī nōn probat.
Henricus: Amō Bolēnam ; testor hās cordis facēs ;
 amō Bolēnam ; nūllus obstābit mihi.
 Haec est voluntās, iūra cōnūbiī meī,
 vel mox resolvant iūdicēs ; vel iam morās
 abrumpō cūnctās, agere iam rēgem volō,
 et rapere nostra postulat quantum salūs.
 In rēgis unā dexterā est mors et salūs.
Luxuria: Istīs Bolēna dīgna flammīs est tuī.
Impietas: Tū prō Bolēnā iūra comtemnās tuā.
Tyrannis: Tū, quod Bolēnae nōn favet, ferrō opprime.

SCÆNA VI

Longlandus, Henricus

Longlandus:

Iūdex recessit, magne rēx. *Henricus*: Iūdex meus ?
Longlandus: Quem mīsit ante pontifex, Campēgius.
Henricus: Et hinc recessit ? *Long.*: Extulit rēgnō pedem ;
 revocāvit illum pontifex ; mox, mox sacrīs
 pārēre iussīs dēbuit. *Henricus*: Rēgnō exiit ?
 Et hinc recessit ? Causa dēserta est mea ?
 Quid iste rūsum pontifex ? Quid vult ? Quid est ?
 Nec iūra nostrae iūdicēs causae dabunt ?
Longlandus: Dabit ipse iūra pontifex, iūdex tuae

vult esse causae ; p̄areās tantō decet
 rēgī sacrōrum et iūdicī : sī iūs sequī
 tua est voluntās, iūs dabit cūstōs sacrī,
 quī iūris exstat. *Henricus*: Abiit, et rēgem tacēns
 contempsit īdem. Nūlla dūcātur mora ;
 mea est Bolēna, rēgium intrābit torum
 mihi facta coniunx ; rēgium ascendet thronum
 rēgīna mēcum : nīl moror, iūdex erō.
Long.: Ratiōne mōtūs hōs regās. *Henr.*: Ratiō hoc iubet,
 quod mente versō. *Long.*: Caeca trānsversum rapit
 iam pectus īra ; siste, dā tempus tibī.
Henricus: Ēn ipse fallor, dum brevēs patior morās ;
 iam tempus obstat. *Long.*: Tempus est semper breve,
 quandō īra praeceps in nefās longum ruit.
Henricus: Dūcere Bolēnam quis nefās dīrum putet ?
Long.: Quī scit tē habēre coniugem. *Henr.*: Coniunx erit.
Longlandus: At esse coniunx, p̄īma cum vīvit, nequit.
Henricus: Istam repellam. *Long.*: Nōn licet, iūdex prius
 dēcernat aequus ; patere, rēx, parvās morās.
 Properāsse semper paenitet, cum nōn potest
 nocēre tempus. *Henricus*: Iam mihi tempus nocet.
Longlandus: Operī nocēre nōn solet tempus bonō.
 Dēcidet ipse pontifex causam brevī.
Henricus: Dēcidat ipse, cum volet ; nunc hoc volō,
 Bolēna sit rēgīna, sit coniunx mea.

SCÆNA VII

Haeresis cum suis, Longlandus, Brianus

Haeresis:

Nempe hoc decēbat ; Tartarī exultā domus,
 gaudēte, m̄anēs, Angliæ rēgnum mihī
 iam iam patēbit : nuptiae sunt hae meae,

rēx dum Bolēnam dūcit, haeresim accipit.

Longlandus: Ō magne caelōrum Tonāns, ecquid parās
miserae et tremētī patriae ! Tōtōs gelū
serpit per artūs, corde cōnfūsō tremō,
et ōminōsus territat mentem diēs.

Haeresis: Notālis ista est Haeresī nātae diēs,
vestra est, sorōres, haec diēs. *Luxuria:* Luxum volet
meum Britannus, luxuria quicquid facit,
faciet Britannus. *Impietas:* Iūris excutiet iugum ;
et Chrīstiāna quicquid iniungit fidēs,
nōlet Britannus. *Tyrannis:* Chrīstiānō sanguine
dextrae rubēbunt ; exilia, caecōs specūs,
īgnēs, catastās, verbera et dīrās crucēs
miserīs Britannus Chrīstiānīs afferet.

Haeresis: Hic nuptiārum frūctus est, hoc est nefās.
Vidēre tālēs nuptiās quantum iuvat ?
Iam iam licēbit ; dexterās, animōs, fidem
iūnxēre rēgēs ; aula laetitiīs sonat.

Longlandus: Iterum tremētī pectore et frāctō feror.
Sim falsus augur, ō Tonāns. Ō quot necēs,
ō quot gementis Angliae intueor mala !
Cernō Briānum, pectoris crēscit tremor,
Quid est, Briāne ? *Brianus:* Nuptiae rēgis novae :
Bolēna coniunx rēgis est ; fidem dedit.

Long.: Quō teste tandem ? *Brianus:* Nesciō, vix est satis
nōtus sacerdos ; ācta rēs est ; hoc cupit
nunc rēx, Bolēna rēgiam excelsō ferat
vertice corōnam ; tōta iam rēgis domus
parat triumphum, gaudiīs vacat domus.
Ēn rēx et ipsa, prōdeunt cūctī simul.

SCÆNA VIII

Henricus, Bolena, Cranmerus

Henricus:

Quod Angliæ fēlix meae et faustum diū
 aspīret aether, iam meis factum est satis,
 factum est abundē precibus ; exsolvi meam
 timōre mentem, liberō vōtō feror,
 cessant tumultūs cōnsciī cordis male :
 haec nostra coniunx, Angliæ nostrae decus,
 et dīgna rēge ; restat ut sacrum ferat
 diadēma rēgnī. *Bolena:* Magne rēx, quod vīs, iubē.
 Tua est voluntās, ut tuī rēgnī simul
 sim facta cōsors. *Henricus:* Decuit, et fāvit polus :
 Cranmēre praesul, verticī impōnās decus
 rēgāle spōnsae. *Cranmerus:* Sic decet, tibi Angliæ
 rēx grātulātur, laeta māiestās tua
 quod liberātō pectore hoc scēptrum gerat.
 Tibi grātulātur, rēgia ō coniunx, tuō
 quod rēx amōre patriae dominam dedit.
Bolena: Etiam hunc amōrem patriae accipiet meum,
 Anglōs amābō semper et patriam meam.
Cranmerus: Rēgīna, flecte ; rēgium impōnō decus
 diadēma capitī, dexteram scēptrum impleat.
 Rēgīna vīve. *Henricus:* Grātulor, tū iam latus,
 rēgīna, claude, rēgium solium preme.

Acclamatio:

Annet, perennet, vivat, aeternum regat.

Henricus: Sit testis aether, cōnscium testor polum :
 fuit salūtis cūra cōnūbium hoc novum,
 Catharīna coniunx hāctenus, nunc abdicō ;
 rēgīna nōn est, abnuō ; haec coniunx mea est,
 rēgīna vestra est. Fēsta sit rēgnō diēs ;
 auspicia dominae plēbis in lūdōs eant.

CHORVS

*Vitiorum et virtutum,
ubi a parte una Haeresis cum suis,
ab altera Ratio cum Pietate et Clementia*

Haeresis:

Nunc tandem laetīs resonent ululātibus umbrae,
et piceōs Styx mōta lacūs Phlegetōnque Acherōnque
attollant undās ; fās est ridēre sub Orcō,
et nova dē mediīs sōlātia sūmere poenīs,
invidiam satiāre suam, rabiemque replēre ;
ō mānēs, Hymenaeae, Hymenaeae, īnstāte sonōrīs
vōcibus, haec vestrae nam sunt spōnsālia nātae,
dum sibi rēx nūllā coniungit lēge Bolēnam,
mē sibi dēspōnsat sēcrētīs Anglia fātīs.

Luxuria: Luxuria taedās praeferam,
et nuptiārum prōnuba
tuōs labōrēs occinam.

Per mē haeresis semper venit,
cū libīdō māter est,
vel ambitiō suī impotēns.

Ratio: Quisquis secūtus sēnsuum celer impetum
ratiōnis excussit iugum, īfirmō pede
cadit in ruīnam. Hoc, Anglia, exitium est tuum,
ratiōne sprētā, dum fovet rēgem Venus.

Impietas: Alteram taedam manus ista vibret,
Haeresis, per mē tua rēgna surgunt,
dumque rēx Rōmae pia iūra temnit,
nāsceris ipsa.¹

Pietas: Quisquis dominī temnit habēnās,
quisquis sacrās pectore lēgēs
ēicit, et sē substrahit ārīs,
nūllō calcāns iūra timōre,

¹ Versus adoneus, quo strophā haec sapphica una et sola finitur. Vide de huius partis versuum scansione Praefationis p. iv.

hunc Deus altā dēspicit arce,
ruit exitiū nescius ātrī.

Tyr.: Mē quoque iam piceam decet hīc prōtendere taedam ;
et sanguineā verbera dextrā,
Haeresis armātā dum spargit funera dextrā,
cumulāns mortēs mortibus ātrīs,
tum rēgnī stabilit, firmatque in sanguine sēdem,
lēnia languent rēgna regentum.

Clementia: Quisquis sevērō pectore
sitiēns cruōrem innoxium
oblectat animum et dexteram,
cūrāre nōn potest Deum,
ūnō recēdit impetū,
hūmānitātis et suae
expers salutem dēserit.

Haeresis: Quaerenda nunc est certa rēgnandī via.
Modum, sorōrēs, quaerite, et modum date.

Luxuria: Dōnec voluptās, luxus et Venus placent,
tū possidēbis Angliam et rēgem simul.

Ratio: Vbī voluptās et Venus,
ibī nūllus est usquam Deus.
Sēcum trahit, sēcum fovet
libīdō semper haeresin.

Impietas: Dōnec Rōmānae contemnet iūra cathedrae,
firmābis imperium tuum.

Pietas: Quīcumque iūra ecclēsiae
sacrōsque contemnit patrēs,
et arbiter sibi lēgis est,
catholicus esse nōn potest.

Tyrannis: Dōnec districtō dominābitur ēnse, vigēbis ;
crūdēlitātis est novae
firmāre semper haeresim.

Clementia: Animōs sevērōs haeresis semper parit,
ūrit, revellit, dēstruit,
secat, necat, ruit, obruit.
Misera haec vidēbit Anglia.

ACTVS QVARTVS

Catharina, ingenti percussa dolore, fortunae cedit et abit. Pontificis deinde sententia negantis allata, Henricus, spem papae umquam probantis perdens, Volsaeo, qui rem ad utilitatem rettulerit suam, calamitatem crimini dat, munus cancelarii abrogat, cuius in locum statuit Morum. Coniugem eam sibi atque Angliae esse reginam attestatus Bolenae, primoribus consilium aperit suum, ut rex ipse non pontifex sit ecclesiae Anglicanae caput, approbatum quidem a Cranmero senatoribusque, Moro ac Roffensi maxima vero adversantibus ope, ex quo fit, ut in carcerem coniciantur ambo. Pronuntiatur proinde edictum, quo, qui hoc negaverit, perduellis dicitur. Roffensis ad tribunal vocatus, iurare denegans, capite damnatur, qui maximo dignus honore supplicio afficitur. Multi patriam relinquere et quaerere velle canuntur novam.

SCÆNA I

Catharina, Longlandus, Maria, pedisequae

Catharina:

Excidimus ergō ; rēgis imperium datum est,
torumque paelex iam meum et meretrīx thronum
tenet Bolēna ; rēgiā expellor domō
nōn dīgna coniunx, tollitur sacrī decus
rēgāle capitis, et meae rēgnī manūs
scēptrum relinquunt. Ipse rēx, heu dūra vōx,
rēx ipse nostrōs pectore exclūsit suō
āmēns amōrēs, exulī exilium imperat.
Nihil recūsō ; pellat, ēiciat, necet,
mors ūna nostrae finiet vītae mala.
Occidat, aberit ā meā crīmen nece.
Ō aula fallāx ! *Longlandus:* Pectoris lūctum rege,
rēgīna. *Catharina:* Nōmen tolle, iam nōn sum amplius.
Fortūna tantum nōmen invīdit mihī.
Longlandus: Tamen iste magnus pectoris cesset dolor,
generōsa prīnceps. *Catharina:* Faxit aeternus Tonāns ;
ut quicquid in mē congeret seu sors malī,
seu rēx timōris, pectore invictō feram.

Tulī secundam, patiar adversam libēns.

Longlandus: Nec īsolēscunt, prosperīs quī sunt bonī,
nec rēbus adversīs cadunt : fortem probant
adversa mentem ; prospera exitium trahunt.

Catharina: Ēicere rēgī sī parum est, oneret manūs
rēgālis īra vinculis, claudat specū
tenebricōsō filiā et mātrem simul.

Immō, hoc patēbit, cum volet, ferrō caput.

Patēbit istud pectus ; hinc strictā manū
prō amōre dūcat sanguinem : sī nōn sat est,
addat parentī fūnerī nātae necem.

Ō sors acerba ! *Longlandus:* Rūrsus incumbis tuō,
prīnceps, dolōrī ; dēficit, quī mox suō
sēsē ērigēbat impetū, sanguis tuus.

Nē cēde sortī, tempora afflīctae Deus
meliōra spondet. *Catharina:* Noster exemplum dolor
iam nescit ūllum, prīscā nōn aetās habet.

Rīdenda vulgī fābula, ō vulnus grave,
ubīque dīcor. *Longlandus:* Immō, iam vulgus tuōs
dēflet labōrēs ; sānctitās, pietās, pudor
animō recurrunt : crīmen īnfāmē facit,
adversa nōn sors ; vīta tē excūsāt tua,
fortūna cāsū quem premit, nōn est nocēns.

Catharina: Quaecumque veniet, grāta sors veniet mihi.
At nāta lacrimīs perfodit pectus suīs.

Ō nāta ! *Maria:* Māter, quō volēs, nātam vocā,
sequar parentem. *Catharina:* Nāta, tē genitor negat,
et mē marītus ; rēx utramque exterminat.

Ō dūra fāta ! Per scelus numquid meam
genuisse dīcar filiā ? Quō, quō, dolor,
quō mē resorbēs ? *Longlandus:* Nuptiās orbis tuās
semper probāvit, crēde, nūllum est hīc scelus.

Et sāncta vītam fāma collaudat tuam.

Catharina: Tibi, nāta, genitor et simul genitrīx erō,

habēbis ā mē nōmen ; et quamquam parēns
 natām recūset, nōminis magnī notās
 Ibēra tellūs et decus stirpis dabit.
 Rēgēs, avōs abavōsque numerābis tuōs ;
 et patruēlēs Caesarēs. *Longlandus*: Nōtum est genus,
 fortūna magnae cōgnita est mundō domūs.
Cath.: Rēx ipse nōbīs est dolor ; quamquam opprimat,
 opprimit amantem ; corde sub nostrō latet.
 Ō, sī redimere lacrimīs possem meīs
 miserī salūtem rēgis ! *Longlandus*: Hanc cūram Deō,
 rēgīna, linque ; fāta dispōnet Deus.
Catharina: Commendō rēgem ; cēdō, discēdō, meae
 venīte mēcum filiae. *Pedisequa I*: Dominam sequar.
 Suī dolōrēs sunt meī et lacrimae meae.
Pedis. II: Fortūna, domina, quae tua est, haec est mea ;
 quōcumque pergīs, pergō ; tū famulam rege.

SCÆNA II

*Henricus, Brianus, Volsaeus, Varamus*¹

Henricus:

Quid ais, Briāne ? Pontifex lēgem dedit ?
 Prōnuntiāvit pontifex ? *Brianus*: Sīc est. *Henricus*: Meās
 num forte damnat nuptiās ? *Brianus*: Damnata novās.
 Domō Bolēnam rēgiā extrūsam cupit.
Henr.: Meam Bolēnam ? *Brianus*: Nuptiās primās probat.
 Catharīna coniunx sit tua, et rēgnī decus
 rēgīna portet, imperat. Quid, rēx ? Cadit
 tuus ille fervor ? *Henricus*: Quicquid est, recitā, lege.

Recitatur sententia pontificis per Brianum.

¹ Varamus hoc loco in scaenam productus historiae fide comprobatus non est: iam mortuus erat, cum Bolenae imposita est corona a Cranmero successore, qui, matrimonium novum habens ratum, a pontifice excommunicatus est statim.

Brianus. Verba ista legis ; causa dēcīsa est tua.
Henricus: Dēcīsa causa est. Anime, quid restat tibi !
 Vt ecce trepidās ? Nulla cōsiliū est via.
 Meam Bolēnam dēseram ? Vītā meam ?
 Mihī revellam cor meum ? Summus cupit
 mandatque praesul, fulminis sacrae minās
 intentat īdem. Chrīstiānus sum, meum est
 pārēre tantō praesulī. *Varamus:* Rēgem decet
 pārēre tantō praesulī. *Henricus:* At fiet meum
 īnfāme nōmen, tōta rīdēbit meōs
 tellūs amōrēs. *Varamus:* Crēdet errōrem prius
 sapuisse rēgem postmodum. Vix est nocēns,
 quem paenitēre coepit. *Henr.:* At quisnam est modus ?
Varamus: Catharīna rūrsus prīstinum sūmat decus.
 Rēgīna redeat, vēra quae coniunx tua est,
 abeat Bolēna : crēde, cūra nunc tuae
 agitur salūtis. *Henricus:* Īra, dēcēdās locō ;
 Catharīna rūrsus impleat rēgis torōs ;
 rēgīna redeat ; nūlla iam placeat Venus,
 abī, Bolēna ; dēserō amplexus tuōs ;
 meum tuumque foedus ēiūrō, abnuō.
 Volsae, rēgem perdidisti : tū mihī
 inīquitātis auctor, et magnī nimis
 sceleris minister ; tū mihi dīvortii
 causā exstitisti. *Volsaeus:* Fateor, et sōlus fuī.
 Sī nōn fuissem, crēde, rēx, iam iam forem.
 Tua esse coniunx frātris haud umquam potest.
Henricus: Et inde nostrae damna tot passim domūs ;
 inde hī labōrēs ! *Varamus:* Nōn tuum rēgis fuit
 turbāre pācem ; nuptiārum nōn fuit
 firmum movēre foedus. *Volsaeus:* At nūllum fuit.
Varamus: Dubitābis etiam, pontifex quandō suā
 hoc lēge sancit ? Crīmen hīc nūllum vidēs ;
 ambitiō tumidum reddit, et dum nōn potes

p̄rīmam occupāre praesulis sēdem sacrī,
tua in ruīnam cōnsilia rēgis movēs.
Numquam Bolēna placuit, at Francī soror
rēgis placēbat ; Caesarī ut magnō tuus
ultor nocēret animus, ēiecta est tuō
Catharīna svāsū. Rēgis est laesī reus.

Henricus: Etiam hinc recēde. Dīgnitās, quae nunc tua est
et p̄rīma rēgnī, cesset ; hoc rēx imperō.

Immō, abdicāre tē volō. *Volsaeus:* Cēdō, abdicō.

Henricus: Sit ista Mōrī dīgnitās ; Mōrus placet :
sit Angliae, nam mandō, cancellārius.

Volsae, cēde ; quod volō, Mōrus sciat.

Brianus: Mōrō indicābō ; rēgis hoc mūnus suī
ultrō expetendum capiat, et rēgnum iuuet.

Varamus: Sic redde mōtō pectorī pācem tuō :
pārēre dēbēs iūdicī, āctūtum iubē,
rēgīna redeat, paelicem indīgnam ēice
rēgnō domōque. *Henricus:* Cōnsilia volvam mea.
Sēdātus in mē est pectoris mōtī furor.

Varamus: Corrēctus error p̄rīmus est vītāe gradus
meliōris ; alter nōn sequī errōrem amplius.

SCÆNA III

Henricus, Bolena, Brianus

Henricus:

Quid fiet ergō ? Saeva tempestās meum
pertundit animum ; dubius hūc et hūc feror ;
et aestuantis seu salī exundat furor,
sic errō, et errāns pectus incertum trahō.
Amor hinc resorbet pectus, hinc turbat timor,
quid heu ? Bolēnam rēgiā ēiciam domō ?
Pārēre iūstum est ; altera est coniunx mea ;

prōnuntiāvit pontifex, certa est fidēs.

Nōndum hōs amōrēs exuō ; nostrās calor
agit in medullās ; cernō, quid fās sit, sequī ;
haeret voluntās ; volvor, et sīc effluō.

Brianus: Vt ecce tōtus haeret ! Abreptum dolor
utrimque versat ; dubia cōsiliū petit,
et implicāta mēns novam quaerit viam.

Bolena: Istōs tumultūs mentis et cordis gravēs
pateris dolōrēs ? Excide forsān tibī,
et iam Bolēna displicet. *Henricus:* Semper placēs.

Bolena: Age, tolle, tolle verticis nostrī decus,
istam corōnam. *Henricus:* Quodquod est tuum, est decus.

Retinē corōnam. *Bolena:* Coniugī coniunx mihi
fidem dedisti. *Henricus:* Quam dedī, servō fidem.

Bol.: Revocanda coniunx altera est. *Henr.:* Coniunx mea est.

Bolena: Rēgīna redeat, hoc cupis : nē sim, cupis.

Et ista rēgis est fidēs ? Iste est amor ?

Henricus: Nec amōre quicquam, nec fidē indīgnū gerō ;
rēgīna vīve, tōta rēgīnam Anglia

iam tē fatētur. *Bolena:* Pontifex sed mē ēicit,
et fulmen in mē barbarum intorquet ferus.

Patiēris ? Et mē rēgiā expellēs domō ?

Henricus: Sēcūra vīve ; rēgium solium et torum
semper tenēbis ; dulcis es coniunx mea.

Quid immerentēs rōre cōfundis genās ?

Age, redde laetae mentis irradiāns iubar.

Iterum serēnus ōra perstringat rubor.

Compesce lūctum. *Bolena:* Pontifex lūctum facit ;
nec vāna metuō. *Henricus:* Nūllus hīc hostis tibi est.

Bolena: Sunt forsān omnēs. *Henricus:* Nūllus est hostis tibī.

Bolena: Nūllum timēbō, coniugem sī rēx amet.

Henricus: Tē rēx amābō. Pontifex numquam hunc meō
īgnem revellet pectore : inveniam modum.

Bolena: Iūrāta mēns est et mihi et rēgī tibī.

Henricus: Iūrāta mēns est. *Bolena:* Mē tuō dīgnam torō,
rēx, iūdicāstī ; pectus hoc nostrum tuō
amōre flagrat : sī placeō, servā tuam.

Henricus: Mea es, Bolēna, tēque servābō meam.
Briāne, cūrā deesse rēgīnae nihil.

Brianus: Cūrābō ; num quid amplius forsā iubēs ?

Henricus: Adsit senātus. *Brianus:* Aderit, hanc cūrā geram.

SCÆNA IV

Henricus, Haeresis cum suis

Henricus:

Rūrsum tumultūs mentis, et rūrsum novī
animum flagellant impetūs ; dubitō, haereō,
cōnsilia dēsunt ; pontifex animum trahit,
retrahit Bolēna ; certus, incertus feror ;
nōlō, volōque : quod volō, grātum est mihi ;
quod nōlō, iūstum est, Anglia hīs humerīs meīs
inclīnat, incubatque : quicquid hīc agam,
spectābit orbis, nōmen atque ōmen feram.

Haeresis: Pārēbis ergō ? Serviēs ? Lēgem et iugum
patiēris et rēx ? *Henricus:* Nempe quandō pontifex

prōnuntiāvit. *Haeresis:* Pontifex quandō tuam
tibī revellit coniugem ? Quandō tuōs
prohibet amōrēs ? Victe rēx, dā, dā manūs ;
istum sacrōrum prīncipem rēgēs timent,
quī nōn timentur. Indolēs magnae regunt.
Pārēre turpe est, quandō, quod prohibet, placet.
Tuam est suprēmum culmen, et rēgnī caput
tū sōlus exstās, quī timet, rēx nōn regit.

Henricus: At ille rēgēs dīrigit : mundī caput.

Haeresis: Mancipia quōs fēcit sibi, rēgēs regit.
Tibi redde tēmet ; vindicā culmen tuum ;

namque esse rēgēs nīl suprā magnōs potest.

Dat iūra sōlus rēgibus rēgum Deus.

Henricus: Prīnceps sacrōrum est, et vicēs Christī gerēns
hominum salūtem cūrat, et fideī sacra
antīquae servat. *Haeresis:* Saxa Tarpēius regat
Rōmāna rēctor, Angliae in rēgnō tuum est
et regere populōs et dare populīs fidem.

Opus est, ut ūnum rēgnō in ūnō sit caput.

Et rēx et esse pontifex sōlus potes,
et esse dēbēs, subditī accipiant fidem,
quam rēx amābit ; subditī lēgem ferant,
quam rēx iubēbit. Pōne tū lēgem tibī.

Henricus: Nōn ergō nostram coniugem āvellet mihī.

Haeresis: Nec hanc nec illam, quam volēs : hoc rēx agās,
ecclēsiae sīs Anglicānae pontifex.

Fateantur omnēs, sī quis obsistat, cadat.

Rēx ille vērus, quī sibi indulgēns, nihil
usquam verētur : quod volunt rēgēs, simul
hoc posse dēbent. *Impietas:* Scēptra conveniunt male
pietāsque ; dēbet sōla māiestās colī,
aliōs colere quī dēbet, est servus miser.

Fortēs, Sevērī, Bellicōsī, Māximī
sunt magna rēgum nōmina, haud umquam Piī.

Prīvāta sors est. *Henricus:* Iam ratum est, iam rēx erō :
iniūriōse pontifex, ergō mihī
fulmen mināris ? Pontifex et rēx erō.

Tyrannis: Haec firma mēns sit, ūna regnandī est via
districtus ēnsis ; Angliam ferrō potēns
teneās oportet ; Christīānus hic cruor
fūsus parābit sortis excelsae thronum.

Henricus: Sed ēn senātum cernō, quod superest, agam.

Haeresis: Satis est, Britanna terra mūtābit fidem.

SCÆNA V

Henricus, Cranmerus, Roffensis, Morus, senatores alii

Henricus:

Cōsulere mē decēbat et fāmae et meae,
procerēs, salūtī. Vester hīc mēcum labor
subiit tumultūs ; onera portāstī mea,
et ipsa nostrīs Anglia ingemuit malīs,
dum laedit orbis laesus haud fāmam meam.
Sed victa fāma est, vīcit invidiam meus
sincērus ardor ; gaudiō incumbō meō,
vōtīque compos laetor ; at quod nunc volō,
percipite, procerēs, pontifex nūper suum
vibrāvit in mē fulmen, et nostrum caput
dēvōvit Orcō, dum meae incumbō anxius
multum salūtī. Coniugem prīmō mihī,
dominam deinde patriae novam dedī.
Ipse improbāvit, Caesar in partēs papam
pertraxit istās. Sit satis, nunc hoc volō,
ut Anglicānae pontifex ecclēsiae
caputque sit rēx, nōminet nēmō papam.
Quī nōminābit, nōscet, agnōscet, colet,
sit perduellis, dēbeat mortī caput.
Prōlēs Bolēnae sit mea et rēgnī simul
hērēs, fatērī subditī dēbent meī ;
sit perduellis, quī negat, mortis reus,
haec est voluntās, hanc sequī, procerēs, decet.
Cranmerus: Iūsta est voluntās, nōs sequī iūstam decet.
Ego tē Anglicānae, rēx, suprēmum ecclēsiae
veneror caput, Quirītium eīūrō papam.
Ego Bolēnae filiam hērēdem tuam
rēgnīque fateor. Sacra māiestās tua
quicquid perēgit hāctenus, tōtum probō.

Necessitātem dubia permōvit salūs.

Morus: Haec causa praeceps, ūna rem tantam iubet
rēgis voluntās. *Cranmerus:* Mōre, nōn rēgem tuum

nōscis, fatēris ? *Morus:* Fateor, et nōscō meum,
venerorque rēgem. *Cranmerus:* Nōn caput rēgnī colis ?

Morus: Rēgnī est caput, nōn Anglicānae ecclēsiae.

Henricus: Et dīgnitātis iste frūctus est novae ?

Sīc, Mōre, rēgī grātus es ? *Morus:* Grātā colō
tē mente rēgem ; dīgnitātis sī meae est

probāre, quod vīs, abdicō ; prīmum decus

resīgnō rēgnī. *Henricus:* Mōre, tū numquam mea

ad vōta trānsīs. *Roffensis:* Magne rēx, sī lēx tua
esset voluntās, forte pārērem tībī.

Iubēs inīquum : nēmō rēgem ecclēsiae

agnōvit umquam prīncipem aut summum caput.

Cran.: Nōn Anglicānae ? *Roff.:* Nēmō, namque est omnium
ecclēsiārum pontifex summum caput.

Cranmerus: Tē dīgnitāte semper ōrnāvit novā

rēx ipse ; rēgis iussa nunc temnis tuī ;

agnōsce rēgem et filiam ; cōgī potes,

auctōritāte cōget ipse rēx suā.

Roffensis: Auctōritāte cōgat aut certā nece ;

nōn morte vincet ; et metum et mortem meae

temnit senectūs. *Henricus:* Impium in rēgem caput

sērō rebellat : augeat carcer metum,

vincetur ambō ; vincula et taetrōs specūs

ferant rebellēs, ferre quī rēgem negant.

Morus: Eāmus ergō, laetus agnōscō Deī

benīgnitātem ; carcer optātae domus

tranquillitātis fiet et portus simul.

Roffensis: Eāmus, ecce nīl moror, vītam novam

hinc inchoābō, mors diem pandet novum.

Fēlīx senectūs, morte quae sērā cadēns

reperit corōnam : quō volēs, abdūc senem.

Cranmerus: Abdūc, satelles, ista lībertās rea est.
Iūrāte reliquī. Rēgis ēdictum placet ?
Senator I: Agnōscō rēgem ecclēsiae nostrae caput ;
rēgnī Bolēnae filiam hērēdem probō.
Senator II: Sacrī suprēmum culminis rēgem caput
fateor, colōque, sacra pontificis negō
dīrumque nōmen. *Senator III:* Et probō, et quae rēx iubet
servanda iūrō, pontifex et rēx simul
Henricus estō, Rōma quem patrem colit,
dētestor illum. *Henricus:* Sīc decet, nunc sit tuae,
Cranmēre, cūrae, nostra quā lātē Anglia
vallātur undīs, pūblicāre quod volō :
fateantur omnēs, et datā iūrent fidē.
Rēgum est fidem lēgemque subiectīs dare.
Cum sōl redūcet flammeōs undīs equōs,
vocā ad tribūnal cōnsociōs rūrsum reōs.

SCÆNA VI

Cranmerus, senatores

Cranmerus:

Age, praecō, rēgis pūblicā ēdictum novum¹ ;
cum nesciuntur iussa, contemnī solent.

Recitatur edictum regis.

Lūstranda tota est Anglia, et cūctī sciant
dēcrēta rēgis, praesulēs, sacrae domūs,
urbēs ; probāre quī novam nōn vult fidem,
feriātur ēnse. Fūsus hanc lēgem cruor
sancīre dēbet. *Senator I:* Forsan exemplum volent
vidēre cūctī, vulgus exemplō sapit,

¹ Lex de regia supremitate (*Act of Supremacy*) d. tertio m. Nov. a. 1534 in parlamento perlata est.

terrentur aliī. Sī quis exundet cruor,
 sī quod per urbēs fūnus atque haustum caput
 percellat omnēs, sapere mox cūctī volent.
Senator II: Hūc ad tribūnal ergō Roffēnsē prius
 revocēmus ; illum, sī cadat, nēmō sequī,
 nec ipse Mōrus, mente mūtātā, volet.
Cranmerus: Redūc, satellites ; sapere sī forsān volet,
 multī sequentur, suspicit vulgus virum,
 colitque sānctum. *Senator III:* Nōn volet, mēns est senī
 invicta doctō, nūlla mors ipsī metum
 iniciet umquam. Cernite, ut laetō senex
 vultū propinquat ? Pectore īnfrāctō necem
 contemnit audāx ; crēdite, hic nimium sapit.

SCÆNA VII

Cranmerus, Roffensis, senatores

Cranmerus:

Iterum ad tribūnal, praesul, an nōndum sapis ?
 Necessitās suprēma nunc fātī tuī est.
 Nē sērō sapiās. Pontifex sit rēx tibī,
 hērēs Bolēnae filia. Hanc lēgem tulit,
 quem tū verērī prīncipem dēbēs tuum.
Senator I: Laudandus iste pertināx mentis furor
 numquam est ; an ipse sapere sōlus hīc cupis ?
Roffensis: Rēctae tenācem mentis haec aetās facit.
 Spēranda nōn est vīta, cum fīnem cupit.
 Occāsione laetor, haec vītam dabit,
 hinc cum relinquam. *Senat. II:* Morte quid gaudēs tuā ?
 Vīcīna mors est, sī negās : iūrā, et tuō
 tē redde rēgī, pontifex ipse est tuus :
 fateāre, iūrā. *Roffensis:* Pontifex nōn est meus.
Senator III: Nec Anglicānae nōscis hunc ecclēsiae

caputque rēgnī ? *Roffensis*: Nūllus agnōscēns sapit.
 Nōn est, nec esse rēx potest. Ūnum est caput,
 Rōmānus ille praesul et mundī est caput.
 Dēcipere rēgem nostra nōn dēbet fidēs,
 nōn haec senectūs : hāctenus nostrī fidem
 tenuēre p̄imam, iūra Rōmānus dedit
 sacrāta praesul. Quod novum est cōnstāns negō :
 rēx hic receptam tollere haud potest fidem.
Cranmerus: Est perduellis, sapere sīc sōlus cupit.
 Prōnuntiētur. *Roffensis*: Nīl moror, prōnuntiā.
Senator: Ecclēsiae quod dēnegēs rēgem caput,
 et quod Bolēnae filiam hērēdem haud probēs,
 tē perduellem dīcō, et addīcō necī.
 Ī, līctor, istud amputā senī caput.

SCÆNA VIII
Roffensis, lictor

Roffensis:
 Vōx ista rēgis dūra, sed grāta est mihi.
 Mors summa vītae est, nec tamen summum est malum,
 horrēre sapiēns nōn solet certam omnibus
 ipsī invocātam. Nesciō quis sē meōs
 agit per artūs ardor, immūtor senex,
 novumque crēscit rōbur et vīrēs novae.
 Benīgnitātis hic tuae est, Tonāns, favor,
 nōn hunc merēbar, glōriam ad tantam vocās
 etiam immerentem ; glōria est prō tē morī.
Lictor: Hinc est eundum ; nē trahās, praesul, morās.
Roffensis: Tarda est senectūs, parva sed restat via.
 Fulcrō senectūs nōn eget ; bacule, hīc valē.
 Propērāre nostrī ad glōriam dēbent pedēs.
 Iterum renāscor, et iuventūs est nova.

*Te Deum laudamus, te Dominum confitemur
Te aeternum Patrem omnis terra veneratur*

Rēx summe rēgum, Chrīste, tū praesēns ades,
tuī labōrēs praesulis grātōs habē.
Valēte cīvēs, Anglia ō misera, ō valē.
Tū perage, līctor, ecce cervīcem dabō.

CHORVS

Anglorum exulum seu profugorum

Ergō patriae linquendae urbēs
linquere patriās certum est sēdēs,
valēte, montēs Angliae,
valēte, fontēs Angliae.
Anglica tellūs, ultima nostrī
mūnera lūctūs impressa tenē ;
hās tibi lacrimās, hās tibi lacrimās
profugī et miserī solvimus Anglī.
Poscimur heu, heu, poscimur heu, heu,
quicumque Rōmam nōscimus,
et quī fatēmur hīc papam.
Sīc misera perditur Anglia,
dēvōta Rōmae filia.
Gēns Chrīstiadum dēvōta necī est.
Sacri multō sanguine patrēs
laceram fundunt sub nece vītam,
dēlūbra iacent obruta flammīs,
sacrōs rapiunt cinerēs ventī,
dēstruit ārās impius īgnis,
Chrīstusque suīs pellitur ārīs,
multum in templīs perplacet aurum,
aurumque reās efficit ārās.
Populātor amat, quicquid dītat.

Pauper reus est et crucis hērēs.
Verbera mixtō resonant plānctū,
undique lūctūs, undique lacrimae,
quisquis renuit iūrāre pius,
pellitur agrīs patriāque domō.
Trahitur dūrae victima mortī,
sīc nōs abīmus exulēs ;
agrōs domōsque linquimus.
Heu Chrīstiānōs Anglia heu nōn fert suōs !
Heu Chrīstiānī patriam fugiunt suam !
Ō rēx tyranne, quō tuōs
procul repellis subditōs !
Externa rēgna quaerimus,
aequorque nostrum linquimus,
dum nōn tibi bonī sat est
nōs exuisse patriīs,
Anglī exulāre cōgimur ;
et exterōrum per plagās
servāre dēbēmus fidem.
Mānēs patrum ! Mānēs patrum ?
Etiam sepultī flēbitis,
hinc dum nepōtēs ob fidem,
sēdēs relinquunt patriās,
et mortuōrum iam iacent
sepulchra ferrō dīruta.
Ībimus ēheu : assuēta prius
placidīs heu gēns vīvere campīs.
Pars Belgiacās incolet ōrās,
pars Ītalīcōs incolet agrōs,
pars occiduōs vīset Ibērōs.
Sparsī tōtō prōtinus orbe
miserī latēbimus exulēs.
Alibī Anglia, alibī Hibernia.
Ō dulcis et cāra patria !
Anglia tellūs, patria tellūs,

nunc ergō valē, nunc ergō valē,
Sed adhūc nostrōs imbibe questūs
imbibe lacrimās ; nōn sine lacrimīs
linquenda nōbīs patria est :
cernere retrō quotiēs oculī ;
dīcere quotiēs cupient animī ;
perdita nostra est Anglia nōbīs,
nōn nōs habēbit mortuōs ;
nostrās habēbit lacrimās.
Rūsum ergō valē, rūsum ergō valē,
Anglica tellūs, patria tellūs,
hās ultimās tibī lacrimās,
haec ultima ferimus ōscula !
Meminisse semper patriae
haec fera facient ōscula.
Rūsus valē, aeternum valē.

ACTVS QVINTVS

Henricus, rationem rursus, pietatem, clementiam deserens, Angliam religione catholica ferro ignique divellere cupit. Cranmero senatoribusque hortantibus, ob monachos adversantes sollicitis, Mori uxorem et filiam ad eum in carcerem admittit, ut eius mentem mutent. Morus, aequus et constans in sententia perstans, a Cranmero tandem et senatoribus morte multatur, cuius caput, verum Angliae decus, absciditur. Haud pauci eum sequentur. Paulo post Catharina vita decedit, per epistolam venia data Henrico. Bolena vero, adulterii cum fratre accusata, capite damnatur, securi percutitur. Annis progredientibus, corpore magis magisque intumescente morbisque confecto pluribus, Henricus diem obit supremum. Cranmero Brianoque astantibus, criminibus dolens suis eorumque a Deo veniam petens, vitae conficit cursum. In versibus ultimis sperat poeta Angliam, luctus passam duos et curas, aliquando ad veram converturam fidem.

SCÆNA I

Religio catholica, Ratio, Pietas, Clementia

Religio:

Caelum solumque et aequor et quicquid suō
immēnsa rērum māchina amplexū capit,
tū, magne Genitor, temporum volvis tuō
quī saecla cursū, lūna, tū, noctis regēns,
vōs, splendentēs īgnibus stēllae vagīs,
āēr globīque nūbium et quicquid suprā
nātūra versat, flūmina et montēs, aquae
levium perennēs fontium, rūpēs, specūs :
iuvāte nostrās lacrimās. Periī Angliae,
mihīque periit Anglia, heu quondam mea !
Religiō caelī filia et Rōmae parēns,
dēmersa lūctū, foeda, virgineōs sinūs
lacerāta, frācta, sanguine effūsō madēns,
hinc ūror, inde vexor, expellor, premor,
dēfēnsor ille, prō pudor ! Nūper meus,
rēx ille, calamō¹ nostra quī asseruit sacra !

¹ Vide annot. in extrema p. 25.

Henricus ille, (lacrimae vōcem obruunt)
 in mē ruentem pellit ac stringit manum,
 ut mē revellat, dissipet, tollat, necet.
 Ō Christiānī, restat exilium grave
 aut mors acerba : lenta succēdent mala,
 ultrāque mortem saevient ; mānēs suā
 crūdēlitate rūrsus in mortem trahent.
 Vbīque lūctus est meus, fūnus meum :
 gemunt onustae tot virīs sacrīs crucēs,
 et frācta iactās templa corripiunt facēs.
 Coenobiōrum claustra cōnfūdīt cruor.
 Mors morte premitur, fūnerī est fūnus grave.
 Nec ūna tantīs Anglia est satis malīs ;
 Hiberna tellūs premitur, hīc quisquis fidem
 servat Quirītum, mortis īnfandae est reus.
 Quoūsque tandem ? Cūius implōrem manum ?
 Nec ūlla spēs est ? *Ratio*: Nūlla spēs, quandō suō
 exclūsit animō, rēcta quod ratiō iubet,
 ruit, impetūque surgit, et caecus furit.
Religio: Nec ūlla spēs est ? *Pietas*: Nūlla spēs, quandō poli
 contemnit īrās, iūraque et lēgēs premit.
 Rēx esse nūllum cōgitat dēmēns Deum.
Relig.: Nec ūlla spēs est ? *Clem.*: Nūlla spēs, quandō furēns
 animus cruōre pāscitur ; tōtus furit ;
 benīgnitātem pectore exclūsit suō.
Religio: Ō magne caelī Rēctor, ō mundī Parēns !
 Sī nūlla spēs sit, rōbur aspīrā meīs.
 Vincant flagella, verbera, īgnēs et crucēs,
 et augeantur mortibus. Sed ēn venit
 rēx ipse ; quid vult ! Tōta concutior metū.
 Meditātur iterum misera, quod nimium gemam.

SCÆNA II

Henricus, Religio catholica, Ratio, Pietas, Clementia

Henricus:

Immāne quantum pectoris saevō quiēs
turbāta mōtū est ! Longa cūrārū cohors
utrimque cingit ; subditī rēgis minās
paucī verentur ; quam dedī, lēgem negant ;
iūrāre nōlunt ; Anglicānae mē caput
ecclēsiae nōn cōnfitentur, et morī,
etiam per īgnēs et crucēs mālunt morī,
et mē negābunt subditī rēgem meī ?
Et mihi resistent subditī rēgī meī ?
Nōn ita cruentā, quod volō, fiet manū,
sī nōn quiētā. Christiānōrum phalanx
ista in īrās mē vocat ; temnit necem,
suamque tantum pertināx Rōmam colit,
ista, ista religiō nocet. Vel rēx erō,
vel hinc recēdet. *Religio:* Ecce rēx adsum tibi
Religiō, numquid mē tuā ēvertēs manū ?
Mē exterminābis ? Angliā expellēs tuā ?
Tū mē solēbās ēnse tūtārī tuō,
et nunc cruōris ultimās guttās meī
sorbēbis atrōx, hauriēs, fundēs ferōx ?
Henricus: Ecclēsiae caput Anglicānae sim, volō.
Vel hinc recēdēs. *Religio:* Quandō rēx istud petis,
hinc mē repellis, esse nōn potes caput.
Ūnum est, et istud pontifex Rōmae est caput.
Henricus: Sit ipse Rōmae, mē meī agnōscant caput.
Religio: Ūnum esse dēbet, ūna tantum ecclēsia est.
Henricus: Et iūra mihi det pontifex ? Rēgnum meum
meōsque frēnet subditōs ? *Religio:* Mōrēs regit
et sacra rēgnī, et subditīs donāns fidem

cūrat salūtem. *Henricus*: Dō fidem et lēgem meīs.
Religio: Hoc nōn tuum est : tū, quod decet rēgēs, agās.
Henr.: Cōgam rebellēs. *Religio*: Chrīstiānus nōn potest
 vel morte cōgī. *Henricus*: Mīlle diffundam necēs.
Religio: Dum mīlle tollēs, mīlle nāscuntur novī.
Henricus: Furor cavēbit. *Religio*: Ille, quī resecat, furor
 crūdēlis auget. *Henricus*: Īgne et undīs opprimam.
Religio: Hinc pulchriōrēs semper ēmergunt meī.
 Fēcunda fiō clādibus, crēscō malīs.
Ratio: Compōne mentem ; nōn decet rēgem sequī,
 quod iūra nōlunt. *Pietas*: Sērō, sī tamen sapis,
 plācātus aether fīet, errōrem auferet
 tibi benīgnus pontifex. *Henricus*: Heu pontifex !
 Heu mē meumque pontifex rēgnum movēs !
Religio: Agnōsce patrem, pontifex rēgum est pater.
Henr.: Numquam ; recēde, sum Angliae nostrae caput.
 Obsistat ille, quicquid est, vincam tamen.
Clem.: Numquam ; potestās scelere diffundēns scelus
 violenta dūrat ; mītiōr melius manus
 rēgnum gubernat ; efferat, quicquid ferum est.
Henricus: Ūnum est necessum ; pāreant, sit, quod volō.
 Pārēre iūstum est rēgibus, quandō iubent.
 Sum rēx, et īdem pontifex erō meīs.

SCÆNA III

*Cranmerus, Henricus, senatores,
 Alsia Mori uxor, Margareta Mori filia*

Cranmerus:

Saevīre frūstrā est. Magne rēx, paucī tua
 ēdicta cūrant, ōrdō quicumque est sacer
 ultrō rebellat : nīl minās cūrant tuās,
 nīl fāta cūrant, quodque mīrēris magis,

etiam cruentō cōnfici ferrō petunt.

Henricus: Saevire certum est attamen ; flectam impiōs,
aut morte tollam. *Senator I:* Mōrus exemplō movet.

Illum imitārī quisquis est doctus cupit.

Henricus: Vir ūnus ipse plūs potest, quam rēx potest.
Iterum vocētur, pertināx sī sit, cadat.

Mors ūna tantī forte terrēbit virī.

Senator II: Ēn uxor, ipsa lacrimīs flectet virum.

Ēn nāta, mātris lacrimīs iunget suās.

Henricus: Ūtāmur illīs. Prōna, quid tantō petis,
mātrōna, lūctū ? Virgō, quid supplex cupis ?

Aloysia: Reddās marītum, repetit hic lūctus virum.

Marg.: Reddās parentem, lacrimae hae repetunt patrem.

Henricus: Reddam marītum coniugī et nātae patrem.

Flectātur ipse, pāreat rēgī suō.

Īte, et movēte. *Aloysia:* Vinculīs sed sit prius

suīs solūtus. *Henricus:* Nōn licet, carcer tamen

vōbīs patēbit. *Cranmerus:* Nāta, tū patrem movē

affūsa collō, lacrimās numquam tuās

feret obstinātus. *Margareta:* Vinciam amplexū meō,

cōnstānsque pectus lūctibus vincam meīs.

Cranmerus: Nihil negābit coniugī. *Aloysia:* Faxit Tonāns ;

cōnfūsa patre est tōta sublātō domus.

Senator III: Servāre tōtam sīc potest sōlus domum.

Īte, et movēte ; pāreat, parta est salūs.

Henricus: Quod restat, ĩte rūrsus, et poenam ultimam

dēnuntiāte. *Cranmerus:* Vānus hic rūrsus labor.

Ōrdō Minōrum tōtus Observantium,

quī dūra suprā fāta, Franciscī genus,

ultrō ĩsolēscit, arguit rēgis nefās,

et, concitātā plēbe, dēfendit papam.

Henricus: Nefāsne rēgis arguit ? *Cranmerus:* Sīc est, nefās.

Damnat Bolēnae nuptiās, ecclēsiae

negat Anglicānae māximum rēgem caput.

Istōs secūtus populus in partēs abit.
 Sīc tōta perditur Anglia. *Henricus*: Ō sacrum genus !
 Coenobiōrum nūlla perdūret domus ;
 inicite flammās, pellite īfundam luem,
 abeant, recēdant, exulent, fātō occidant.
Senator I: Carthusiāna gēns quoque in partēs abit.
 Rēgem fatērī ecclēsiæ nōn vult caput.
Henricus: Etiam hī per īgnēs ultimum fātum ferant ;
 extermināte, morte dēlictum luent.
Senator II: Nec hoc iuvābit ; ūna mors Mōrī omnium
 terrēbit animōs. *Henricus*: Occidat, pereat, cadat.
 Vel mē suprēmum patriæ dīcat caput.

SCÆNA IV

Morus, Aloysia, Margareta

Morus:

Quid, cāra coniunx ? Carcer hic nōn tē decet.

Nec iste noster lacrimās poscit labor.

Aloysia: Nē patere, Mōre, coniugis lacrimās tuæ.

Cernis dolōrem, magnus excēdit modum,

tū redde tē mihi coniugem ; coniunx potes.

Num mē relinquēs ? Patriam ? Nātam tuam ?

Ō cāre coniunx, sī quid est in tē meī.

Ō cāre coniunx, sī quid hae lacrimæ queunt,

per tē, per istud pectoris nūmen tuī,

per mē, per istās lacrimās, coniunx, meās

miserēre, coniunx, liberōrum et coniugis.

Morus: Et liberōrum et coniugis vīvō memor.

Aloys.: Miserēre vītæ. *Morus*: Num meæ ? *Aloys.*: Coniunx tuæ.

Bis forte dēnōs vīvere annōs hīc potes.

Morus: Bis forte dēnōs ? Numerus annōrum est brevis,
 aeternitāte nēmō mūtet, quī sapit.

Sollicita tolle lacrimās, Mōrō est bene.

Aloysia: Bene, crēde, coniunx, coniugī nōn est tuae.

Mihi cūncta pereunt, sī perīs ; quae tē diēs
mihī marītum tollet, haec vītā auferet.

Tū vīta nostra es, heu diēs ! Heu, heu diēs !

Ego tē peremptum claudere hōc possim sinū ?

Et istud ōris cernere exstinctum iubar ?

Ō spēs inānēs ! Vulnere ō quantō meum
fortūna pectus laedis ! Ō coniunx ! Tuae

lūx exstititī patriae, nunc es probrum ;

nūper nitēbās Angliae primum decus,
nunc dīgnitāte carcer exūtum tenet.

Virōs vicēsque, Mōre, fortūnae subīs.

Morus: Sors omnis in mē est, quae mea est ; nōn est virī

timēre sortem ; quisquis est sapiēns, suā
spē vincit omne sortis adversae malum.

Aloysia: Spērāre quid vīs, certa sī mors sit tibi ?

Morus: Mortem quod ultrā est. *Aloysia:* Istud est quodquod bonum.

Spērāre fās est semper, haud semper morī

simulāre mentem iam potes. *Morus:* Numquam bonus

simulāre mentem vir potest, quandō suae

causam salūtis sustinet ; fictās Deus

ōdit loquēlās. *Aloysia:* Ista tē perdet tua,

ō Mōre, prohibitās. *Morus:* Perdere haud prohibitās potest.

Sincēra semper pectora extollit Deus.

Aloysia: Sed fāma nostrae perditur tēcum domūs.

Morus: Perīre iūstī fāma nōn potest virī ;

augēbō fāmam mortuus. Coniunx, tuās

compesce lacrimās ; nāta, tū lūctūs tenē.

Margareta: Vtinam licēret ; sī quid est ultrā, dabō.

Obtemperāre sōlus an rēgī nequīs ?

Morus: Obtemperāre nōn licet rēgī suō,

Obtemperandō laeditur quandō Deus.

Margareta: At dubia rēs est, flectere hīc mentem potes.

Morus: Rēs dubia nōn est, quam facit certam fidēs.
 Ecclēsiārum pontifex quod sit caput,
 iūs omne dīcit, p̄isca dēcernit fidēs.

Margareta: Roffēnsis ille praesul hanc mentem facit.

Morus: Veneror, colōque praesulem, s̄anctum virum,
 fuit ista p̄idem nostra mēns. *Margareta:* At tot tamen
 iūrant ubīque praesulēs, iūrant senēs
 iuvenēsque doctī, nōbilēs, s̄anctī virī.

Morus: Plūrēs recūsant. Reliquus hoc orbis negat,
 quod hī fatentur. Sentiant aliter patrēs

fideī magistrī. *Margareta:* Rēgis ēdictum est tuī,
 probat senātus Angliae, tūne hoc, parēns,
 sōlus negābis ? *Morus:* Ipsa s̄ic ratiō iubet

pietāsque, nāta ; quod facit certum fidēs,
 lēx nūlla rēgum tollit. *Margareta:* At vereor, parēns.

Morus: Quid tū verēris, nāta ? *Margareta:* Quod nimium gemam.

Morus: Meamne mortem ? Nūllus hoc pectus timor,
 vīs nūlla vincet ; spem facit tantam Tonāns,
 nōn merita vītae. Quī dedit mentem, dabit
 vīrēs benīgnus. Nāta, quid rūrsus gemis ?

Margareta: At tōta dominum nostra tē domus gemit.
 Et ecce misera sē ēnecat lūctū parēns.

Morus: Vtinam dolōrem tollere hunc vestrum queam.
 Sēdābit illum, cūncta quī sēdat Deus.

Coniunx, valē. *Aloysia:* Valēre sine tē nōn queō.

Morus: Et tū valēbis, nāta. *Margareta:* Nempe sine patre.
 Ō dūra vīta, patre quae tantō caret.

SCÆNA V

Cranmerus, Morus, senatores

Cranmerus:

Hīc Mōrus adsit ; rēgis ēdictum iubet ;
vīvere nocentēs namque nōn dēbent diū.
Hoc est salūtī pūblicae pīgnus novum
servāre rēgum iussa. Mōre, dum vidēs
iūstum hoc tribūnal, loquere, quod vērūm decet,
probūmque rēgis subditum sapere hīc licet.

Morus: Rēgī fidēlis subditus semper fuī ;
sum, vīvō tālis. Laedere hīc nūllum volō ;
laesisse numquam mēns fuit ; bene omnibus
volō, precorque. *Cranmerus:* Restat hoc tantum caput.

Agnōsce rēgem ecclēsiæ. *Morus:* Nōn est caput.
Istud fatērī nōn queō. *Cranmerus:* Semper tua
haeret voluntās pertināx : cōgī potes.

Morus: Certē est inīquum : cōgat, et mortem īferat ;
dum vīta corpus hoc reget, mēns haec erit.

Cranmerus: Ingrāte Mōre, nīl tuō rēgī dabis ?

Morus: Hoc corpus, atque hanc, quam petit, vītam dabō,
rēx pectus istud mōvit et nostram fidem ;
amō fidēlis subditus rēgem meum.

Probāre lēgem, quam tulit, numquam queō.

Lēx ista rēgī sit tamen. *Senator:* Sōlus sapit ;
antistitēs tot inter hic Mōrus sapit ;
et optimātēs et senātus dēsipit.

Rēx errat, errant quotquot hanc lēgem probant.

Morus: Nīl optimātēs Angliæ paucōs moror ;
mēcū ipse sentit orbis, et patrum vetus
ita sēnsit aetās. *Senator:* Perduellis, prōditor
et rēgis hostis Mōrus est. *Morus:* Numquam fuī :
rēgī fidēlis hāctenus servus fuī ;

moriar fidēlis ; testor aethereās plagās,
 nostraeque testor cōnscium mentis Deum,
 nec fictus animus, ficta nec lingua est mihi.
 Fēlix valēnsque rēx sit et rēgnum, precor.

Senator II: Tot verba frūstrā ; tollat ambāgēs ; probās
 rēgisne lēgem, Mōre ? *Morus:* Dīxī, nōn probō.

Senator III: Haerēmus igitur ? Rēgis est laesī reus.

Cranmerus: Prōnuntiētur ; mūtet aut mentem prius.

Senator III: Tē perduellem et rēgis offēnsī reum
 prōnuntiāmus. Līctor, ī, Mōrō caput
 rescinde ferrō, vīxerit. *Morus:* Grātēs tibī,
 aeterne Genitor, līber et gaudēns agō.

Haec grāta mortis causa, cum prō tē morī
 hodiē licēbit. *Senator I:* Sit satis, tolle hinc morās.
 Comitābor, illum, līctor, abductum trahe.

SCÆNA VI

Morus, senator I, lictor, Religio catholica

Morus:

Nē tē fatīgā, līberō ēn prōmptus pede
 ultrō praeībō ; grātior numquam mihi
 illūxit aether ; Angliae reddam meae
 mortāle corpus, spīritum reddam Deō.

Lictor: At exuenda, Mōre, vestis est tua.

Morus: Tua ista, lictor, vestis est, vestem cape.

Religio: Et exuētur Angliae primum decus ?

Prūdentiae, virtūtis, officiī decus ?

Et corpus istud, incluta mentis domus,

arx illa honōris et thronus cōstantiae,

nūdāta pandet membra ? *Senator:* Nunc dum tempus est,

tē verba, Mōre, prōloquī ad plēbem vetō.

Morus: Etiam hoc inīquum est ; liceat hoc saltem loquī.

Rēgis fidēlis servus et servus Deī
 fidem Quirītum morte cōsīgnō meā.
 Tē cāra testor Anglia, occumbō tuus,
 et Chrīstiānus sanguinem effundō meum.
 Tū, Chrīste, rōbur adde, nīl mortem moror.
Lictor: Ignōsce, Mōre, cōgor, ut mortem īferam.
Morus: Mors ista grāta est, līctor, et grātēs agō.
 Habēs amīcum, pectus amplectar tuum,
 et pācis istud ōsculum accipiēs meae
 et pīgnus istud. *Religio:* Ō Tonāns ! Et hoc caput,
 caput hoc secābit impiae ferrum manūs ?
 Et illa cervīx, Angliae haec cervīx cadet ?
Lictor: Permite vultum, Mōre, vēlābō tuum.
Morus: Vēlābō mēmet, linteō hōc ūtar meō.
Religio: Ō sōl recēde, ēn Angliae Phoebus perit.
 Caelum tenebrās indue, ēn Mōrus perit ;
 vēlātur illud lūminis clārī caput.
Morus: Miserēre, Iēsū ; līctor, ēn cervīx patet.

SCÆNA VII

Religio, Margareta, angelus

Religio:

Āctum est, recīsum est Angliae tōtī caput.
 Britanna tellūs, ēn tuum cecidit decus.
 Britanna tellūs, ēn tuum columen iacet.
 Britanna tellūs, ēn iacēs, ipsa hīc iacēs ?
 Hoc ecce Mōrī fūnus est fūnus tuum.
 Moriuntur omnēs, ūnus hic quandō perit.
 Heu Mōre, quantus Angliae est lūctus tuae !
Margareta: Ergō perāctum est ? Sufficit nunc, ut gemam.
Religio: Lacrimētur ut tōta Anglia, hoc fūnus sat est.
Margareta: Et nīl relictum est ? Et nihil ? Vītāe nihil ?
 Vbi vultus ille, heu Angliae quondam iubar !

Et reticet ōs, ōs aequitātis organum ?
 Et corpus illud Angliae fulcrum suae ;
 exāmine : mūtum, mortuum, abiectum iacet ?
 Henrīce, facinus hoc tuum est ; iussū tuō
 iacet peremptus, quī tuīs flectī dolīs
 dōnīisque numquam potuit. Ah, ah, ah parēns !
 Ego, nāta, certum iam colō nūmen tuum ;
 ego, nāta, et mānēs veneror, et colō tuōs.
 At dum sepulcrō corpus hoc condō tuum,
 lacrimās, suprēmum filiae mūnus, cape.
Religio: Quid agam ? Quid ēheu ? Cūius implōrem manum ?
 Et hinc abībō ? Vīvet ? Et vīvet diū
 hoc fulminandum perfidī rēgis caput ?
 Et nōn tonābis, magne caelituum Parēns ?
 Et nōn dehīscet terra ? Nōn tōtus simul
 patēbit Orcus ? *Angelus:* Religiō, spērā bene,
 vindicta caelōs pulsat, et poenās scelus
 inūsitatās sentiet. Sērō tamen,
 sērō redībīs ; interim clādēs tuī
 ferant alumnī, exilia, carcerēs, crucēs
 latēre dēbent, Haeresis rēgnum suā
 tenēbit arte, et fēminae¹ imperium grave
 patī est necessum. Fāta dēcernent viam.
 Quae Chrīstiānam regiō contemnit fidem,
 vix recipit umquam, vel gravēs poenās luit.
 Sunt dēbitārum longa poenārum mala.
Religio: Etiamne nostrī perferent ? *Angelus:* Multī ferent.
 Generōsa vītam pectora effundent suam.
 Etiam hinc cruōre martyrēs pulchrī suō
 scandent Olympum. Nulla mors vincet bonōs :
 Hiberniaeque et Angliae campōs cruor
 replēbit altōs, sed fremet frūstrā furor.
Religio: Patiēmur ergō, fāta dēcernent modum.
 Miserēre tamen ō Angliae tandem Deus.

¹ I.e. Haeresis.

SCÆNA VIII

*Henricus, Brianus, senator 1, Bolena, Varamus*¹

Henricus:

Heu pallidārum longa cūrārum cohors !
Pāx nūlla rēgī est ; intumēscit hoc meus
crēscitque pondus corporis, nec mē metus
umquam relinquit. Mōrus an fātō occidit ?
Senator: Vīxit : ‘Fidēlis patriae et rēgī meō
occumbō servus’, inquit, ‘et patrum fidem
moriendō servō.’ *Henricus:* Mōre, Mōre, quō meōs
trahis dolōrēs ? *Senator:* Chrīstiānus et papam
cōfessus obiit. *Henricus:* Semper hic cōnstāns fuit.
Varamus: Catharīna vīxit, illa, rēx, coniunx tua ;
rēgīna quondam, vīxit. *Henricus:* Hoc nostrō est novum
sub corde vulnus ; vīxit ? *Varamus:* Hās ad tē dedit
moriēns tabellās ; īspice et tōtās lege ;
amōre rēgis saucia occubuit suī :
Sollicita prō tē semper, ō quotiēs novās
quaesīvit ipsa lacrimās, quotiēs ait
moriēns : ‘Marītō, Chrīste, condōnā meō.’
Henricus: Perlege tabellās ; turbat hunc animum dolor !

Leguntur reginae Catharinae ad regem litterae.

Varam.: Hae sunt tabellae. *Henr.:* Flētus haud noster sat est,
lūgendus ipsō māior est lūctū dolor.
Et heu amōrēs illa contemnit meōs ?
Illa heu Bolēna ? *Brianus:* Iam tuae est aulae probrum ;
et impudīca rēgium spurcat torum ;
vulgāre scortum est ; frātris amplexū suī
potīta gaudet ; ūna rēgīnam omnibus
libīdō facilem subicit. *Henricus:* Iūrō caput,

¹ Vide annot. in extrema p. 49.

istudque scēptrum iūrō, iam poenās dabis.

Brianus: Ēn ipsa prōdit. *Bolena:* Nempe mē rūmor tuam accūsāt ergō coniugem ? Quid, rēx ? Quid est ?

Henricus: Dēpōne scēptrum. *Bol.:* Nempe dēpōnam meum rēgīna scēptrum ? *Henricus:* Verticis pōnās decus, pōnās corōnam ; iubeō, sī nōn est satis,

trahite impudīcam : vīle scortum, tū meam

aulam torumque polluis ? *Bolena:* Coniunx. *Henricus:* Tacē. Nōn es, recēde, nōn mea es coniunx, tacē.

Bolena: Et mē repellēs, cordis idōlum tuī ?

Henricus: Scortum repellam ; tollite hoc sacrum caput ; vīdī ipse, vīdī : rēgiae es scortum domūs.

Abī hinc, recēde. *Bolena:* Per tuum pectus precor.

Henr.: Abī hinc, recēde. *Bolena:* Per tuum scēptrum precor.

Henricus: Abī hinc, recēde. *Bolena:* Sī mihi coniunx negās tuōs amōrēs, dā meam hanc vītā mihī.

Henricus: Moriātur ; īte, abstrahite, moriātur cito ; et impudīcum concidat ferrō caput.

Bolena: Ō magne rēx ! *Henricus:* Iam sentiēs rēgem : perī !

Bolena: Ō cāre coniunx. *Henricus:* Nōn tibi cārus fuī.

Cadat impudīca ferreā cervīx manū.

Abī hinc, et oculōs liberā aspectū meōs.

Brianus: Bolēna, cēde, iam ratum est, dēbēs morī, ista est voluntās rēgis ; ī, līctor, ferī.

Bolena: Miserēre, rēx ! Miserēre, coniunx ! Ō Tonāns !

SCÆNA IX

Religio, angelus, Brianus

Religio:

Haec iūsta poena est, nūllus impūne est nocēns ; animī insolentis semper est rēgnum breve.

Et sēra sēcum culpa vindictam trahit.

Benīgnus ille māchinae aetherae Tonāns
lentō minātur brachiō, tandem tamen
tonante vibrat flammeōs caelō globōs,
iūstusque dūrā vindicat poenā nefās.
Iacet ēn Bolēna, nempe p̄ncipium malī
et causa lūctūs. Ō Tonāns, numquid meō
fīnem labōrī sērō, sed sērō dabis ?

Angelus: Etiam iacēbit ipse rēx, quī in tē furit,
stimulōsque mentis cōnsctiae dēmēns feret.

Iam iam labōrat intus, et seipsum suō
fatīgat aestū ; longa mors, lentus dolor.

Religio: Ō iūste vindex ! Pereat, et tandem meō
reddar labōrī ; pereat, et rūrsum meōs
cultūs resūmam ; pereat, et vīvant meī.

Angelus: Certum est, perībit ; iam perit, dum sē videt
perīre lentē ; iam perit, dum sustinet
mentis tumultus ; iam perit, dum iam morī
perculus horret. Patere, quod fātīs ratum est.

Ūnum sevērae saeculum haud poenae sat est.

Brianus: Āctum est, suprēmus tendit in mortem labor,
rēgisque corpus intumēscit amplius,
nec mēns dolōrēs ferre nec moram potest.

Tumet ipse vultus, pectus et pedēs tument ;
at horror intus turbidum pectus quatit.

Iam tōta trīstēs aula singultūs trahit.

Tremunt et ipsī p̄ncipēs. *Religio:* Haec est Deī
vindicta iūstī ; effugere rēx numquam potest.

Brianus: Ēn ille, tantum pondus est sēdis grave,
et mortem anhēlāns turbidō aspectū tremit.

SCÆNA X

Cranmerus, Henricus, Brianus, Religio

Cranmerus:

Fātālis hōra est, magne rēx, corpus tuum
sanguis reliquit ; concitā mentem, et tuōs
attolle sēnsūs ; māximōs rēgēs quoque
mors ūna tollit, certa nātūrae est via ;
et istud altī verticis sacrum iubar

cadet in tenebrās. *Henricus:* Sentiō et mortem et meam
īnstāre noctem : turbidō afflātōs metū
vix tūtus artūs urgeō : intumuī miser,

et ipsa tumidum pondere ēvincit suō
mēns lāpsa corpus. *Cranmerus:* Ērige et mentem, et tuōs
compōne sēnsūs. *Henricus:* Turba cūrārum ingerit
sē parte ab omnī. Restat an aliquid mihī ?

Brianus: Ēn vīta restat. *Henricus:* Vīta, quae mors est mihī.
Ō dūra vīta ! Vīvus heu mortem trahō.

Etiamne rēxī ? Mors, venī, mors, hanc meam
abrumpe vītam. *Religio:* Tē tuum torquet scelus :
intus redundās, iūsta iam saevit Deī

manus tonantis. *Henricus:* Heu Tonāns ! Heu, heu Tonāns !
Etiam monarchās tantus īnfēstat dolor ?

Vbi sum ? Quid ego sum ? Quid fuī ? Quid nunc erō ?

Cranmerus: Ēmōta mēns est ; vincitur pectus metū.

Brianus: Vt terror intus, terror exterius premit ?

Religio: Haec poena mentis cōnsctiae est ! Hoc est scelus ;
scelesta semper vīta sīc mortem timet.

Henricus: Ō misera rēgum vīta ! Vah etiam morī ?

Et effluentis spatia nātūrae ruunt ?

Cranmerus: Spēs certa firmet pectus. *Henricus:* Ō spēs ! Ō mea
ubi spēs relicta est ? *Cran.:* In Deō. *Henricus:* Nempe in Deō :
post tot cruentās capitis innocuī necēs ;

ēversa post tot templa, tot raptās opēs.

Brianus: Firmāta per tē est Angliae fidēs tua !

Henricus: Ēversa per mē est Angliae fidēs meae.

Ēversa per mē est. *Cranmerus:* Tot tuam probant fidem.

Henricus: Plūrēs recūsant ; quī timet rēgem, probat ;
utinam probāre nēmō potuisset fidem.

Cranmerus: Turbāta mēns est ; vīta paulātīm effluit,
sēsēque nescit. *Religio:* Territat mentem scelus,
et ācta pectus vīta cōfundit metū.

Brianus: Turbātūr iterum. *Henricus:* Nūlla iam restat quiēs.

Āctum est, perāctum est. Ō salūs ! *Granmerus:* Semper tibi
fuit salūtis cūra. *Henricus:* Nempe dum meam

quaerō salūtem, perdidī ; nōn est salūs.

Ō anime, quid agēs ? Heu, quid heu, quid agēs ? Quid heu !

Cranmerus: Ecclēsiae caput Anglicānae rēx timēs ?

Tibi vīta restat. *Henricus:* Anglicānam ecclēsiā,
heu sēra fāta, perdidī. Ō miserum caput !

Tuum ad tribūnal, Chrīste, mē rēgem vocās ?

Īmō, ĩmō tolle, effulminā, nōn sim amplius.

Heu ad tribūnal ? Sim nihil, nōn sim amplius.

Religio: Ēn Anglicānae pontifex ecclēsiae ;

ēn quī cruōrem praesulum effūdit furēns ;

ēn quī suprēmī iūra pontificis negat,

summī tribūnal iūdicis dēmēns pavet.

Brian.: Vix restat aliquid. *Henr.:* Quam malum est heu sīc morī !

Vīxisse sīc quam nunc malum est ! Nūlla est salūs,

spēs nūlla, procerēs ō meī ! Quantus meum

īnfēstat ardor pectus ? Hūc vīnum date.

Religio: Exstinguet istum nūllus ardōrem liquor.

Cranmerus: Hīc sapere, rēx, in morte iam dēbēs tuā.

Henr.: Āctum est, perāctum est, cūncta perdidimus. *Brian.:* Iacet,
exstincta vīta est. *Religio:* Rēge dē tantō nihil

nisi hoc cadāver restat et longus dolor.

Cranmerus: Agedum, efferātūr ; Anglia hoc fūnus tuum est.

SCÆNA XI
Religio catholica

Ō iūste caelī Rēctor ! Ō vindex Tonāns !
Occumbit igitur hostis, atque hostis tuus
meusque, numquid Angliam aspiciēs tuam ?
Aliquandō numquid ? Saeculum sī sit satis,
etiam morēmur saeculum ; lateat fidēs,
lateant fidēlēs ; fēminae imperium patī
nihil recūsant ; pectore īnfrāctō necem
prō tē subībunt ; exilia, taetrōs specūs,
et quod iubēbit efferae mentis furor,
ferent parātī ; sed tamen, tandem tamen
redīre dōna, rēgibus vēram novīs
īnfunde mentem, fac tuam nōscant fidem ;
et rūsus Anglōs Rōma connumeret suōs,
rūsusque Hibernōs relligiō iactem meōs.
Aliquandō, Chrīste ! Per tuam mortem petō.
Aliquandō, Chrīste ! Per tuam crucem petō.

FINIS TRAGÆDIÆ



STVPRVM omnium maximum temporum in domo regia Britanna umquam factum ante oculos proponere nostros videtur HENRICVS OCTAVVS tragoedia NICOLAI VERNVLÆI, cuius titulus melior alter fortasse fuisset *De rege quodam salaci cum paelice sua pellaci*, ita poeta res, quae ad discrimen deduxerunt extremum illud pernotum omnibus, amplificavit catholico iure pioque perfusas, capitibus aliis super alia per scaenam volventibus. Quamquam

de regio pari illo famoso permulta iam conscripta sunt multum, cuius utriusque persona et cinematographica arte et televisifica per imagines oculis proposita est nostris, tamen historia haec ludicra tali in luce ex longinquo conspecta delectationem nobis affert novam, parvulum nonnunquam risum eliciens. Huc accedunt huius poetae, qui XVII^o saeculo floruit, cuiusque nomen gloriaque immerito obscurata sunt, sermo et verba ipsa, summa exquisita compositaque arte, luminum dicendi plena eloquentiaeque fulminum, expedite autem et facile currentia, aures svaviter titillant vocibus et pascunt, quae hoc libello ex oblivione conati sumus vindicare perpetua.



Quis audax suscipiet spectaculum hoc in scaenam edendum ipsam?